



METHODUS
STUDII
PHILOSOPHICI, ET THEOLOGICI

ATQUE

AFFINIUM QUARUMDAM DISCIPLINARUM

Cui vacare debent integro Novennio


RELIGIOSI JUVENES

SACRI ORDINIS SERVORUM MARIAE

CUM

ELENCHO QUÆSTIONUM

Ab eisdem exponendarum in Examine ante Graduum assecutionem.





FLORENTIÆ ANNO MDCCLXIX.
Apud JOSEPHUM ALLEGRINI, & SOCIOS.

Censoribus approbantibus.



FR. FRANCISCUS RAIMUNDUS

SACRI ORDINIS SERVORUM MARIÆ

PRIOR GENERALIS

Omnibus ejuſdem Ordinis Alumnis in Studio Sacrarum Diſciplinarum erudiendis, vitæ innocentiam, cor docile, ſincerum addiſcendi cupiditatem, firmum mentis propoſitum, & corporis incolumitatem precatur a Deo.



Eterum Aſcetarum, & Monachorum vitam ita diſtributam fuiſſe legimus, ut qui illi nomen dediſſent, rerum divinarum contemplationi, pſalmodiæ, & manuali exercitio unice vacarent. Evidentibus tamen momentis probat in aureo, & vulgatiſſimo Tractatu *de Studiis Monaſticis* doctiſſimus Mabillonius, antiquos eoſdem ſolitarios cordi habuiſſe ſacrarum paginarum, aliarumque diſciplinarum ſtudiis ſedulam operam impendere, ne eiſdem deſtituti chriſtianarum virtutum jacturam facerent, & ipſa eadem ſanctitas Monaſteriorum, & diſciplina periret.

Etſi tamen ampliori illa eruditionis ſupellectili, quam ſcriptor præſtantiſſimus priorum Eccleſiæ ſæculorum Monachis vindicat ſpoliandi forent, pro certo tamen haberi debet a noſtrorum temporum Cœnobitis

totius vitæ methodum, atque rationem ita informandam esse, regendamque, ut cœlestium bonorum meditationi, quæ in divinis etiam laudibus celebrandis, precibusque pro Republica fundendis continetur, Disciplinas Ecclesiastico homine dignas consocient. Tale enim priscæ inter ætatis, & recentioris Monachos, sive, ut vocantur, Claustrales discrimen intercedit; quod illi ab Urbium tumultu penitus segregati perpetuum suo ipsorum corpori bellum indicerent, quæ in hominum societatibus gerebantur negocia, tamquam a proposito aliena despectui haberent, & ne desidiæ vitium obreperet, labore corporis, manuumque industria otium fallerent, & antiquo serpenti, qui calcaneo insidiatur, occurrerent. Isti vero, qui divina charitate, & sempiternæ beatitatis capessendæ desiderio inflammati Monasteria in Urbibus, aut in Oppidis constituta nostra hac ætate ingrediuntur, segregantur utique a rerum terrenarum molestiis, negociisque sæcularibus non implicantur, sed in eo sollicitam operam locare debent, ut exemplo aliis luceant, & concives erudiant in illis præsertim, quæ pertinent ad cœlestis Patriæ singulis hominibus debitæ assecutionem, eosdemque in bonis eliciendis, & in malis operibus præcavendis dirigant, & manuducant. Singula tamen hæc præstari non poterunt, nisi studiis, ac disciplinis, quæ sacræ appellantur semetipsos addicant, atque ab ipsamet adolescentia diurna nocturnaque manu exemplaria versent, a quibus instrui possint, & erudiri. Divinum propterea Numen nos monet a labiis Sacerdotum scientiam custodiri, atque ab eisdem, veluti a lucernis ignorantiæ caliginem dispellentibus, hominum mentes esse illustrandas, & sanioris doctrinæ pabulo nutriendas.

Hæc, quæ a pluribus annis vera esse intellexeram, postquam ad regendam Mariæ Servorum Familiam promotus, ac deputatus sum, sedula mente re-

pe-

petens, nihil Deo acceptius, nihil universo Servitarum cœtui utilius, nihil meo munere dignius censui cura, & labore, quo Sacrarum, & affinium disciplinarum studia in eodem, cui præsum Religioso Ordine promoverem, eumdemque in litteraria palæstra Prædecessorum meorum vigilantia exercitum, ne a calcata semita deflecteret, retinerem, atque meliori, si fieri posset, methodo juvarem.

Assumpto autem muneri meipsum pro virili satisfecisse putavero, quando adhibitis hortamentis, propositisque præmiis, cupidæ juventutis animo stimulos addam, & longi itineris ab ea conficiendi generalia quædam lineamenta proponam, ne labore irrito temporis jacturam faciat, & illa addiscat, quæ caliginosæ oblivionis nocte damnanda sunt.

Post exactum itaque Tyrocinium, in quo præter officia pietatis alibi exposita, legumque nostrarum notitiam, nihil aliud a Juvenibus postulo, nisi ut in latina lingua exerceantur, & aureæ ætatis scriptores cum Historicos, tum Oratores, atque Poetas quotidiana lectione percurrant, ad sublimium scientiarum limina iidem Tyrones deducendi erunt, ut locupletari possint divitiis, quibus Philosophia, Theologia, & eisdem affines disciplinæ redundant. Et ne immensa veluti mole opprimantur, atque ab amplissima messe, quibus scientiarum nobiliorum campus luxuriat, perterriti animos despondeant, ita earumdem scientiarum partes ab illis investigandas distribuam, ut novem annorum spatio, quæ opportuniora videbuntur doctrinarum capita lustrent, atque Præceptorum voce in eisdem exerceantur. Longiori autem Præfatione Præceptores ipsos, atque Alumnos eorumdem magisterio erudiendos morari piget, quando ex partitione, atque ex distributione doctrinarum, thematum, & argumentorum, quid a singulis integro novennio præstandum sit luculenter ap-

pa-

pareat. Hoc unum ſilentio præterire non poſſum, quod primum triennale ſpatium ad Lectores pertinet, qui Philoſophi nuncupantur. Sex autem qui ſuperſunt anni, complectuntur labores a Theologiæ Regentibus ſubeundos.

Annus Primus.

LOGICA, ET METAPHYSICA.



Oſtquam excuſſo Scholæ Peripateticæ jugo, liberius atque etiam utilius mentes hominum in corporum, rerumque ſenſibus ſubjectarum diſcuſſione, atque in ſublimium, & abſtractarum doctrinarum examine vagari cœperunt, Facultatem aliquam mentis directricem, ſive Artem cogitandi, quam Logicam, Dialecticam, Dianoeticam, aliiſque nominibus vocant, diſciplinis omnibus anteferendam eſſe, cum eiſdem Peripateticis, aliiſque veteribus Philoſophis una omnium ſententia fuit. *Logicæ hiſtoriam* copioſe traditam a Georgio Walchio in ſyllogem tyronibus utilem contraxit Antonius Genuenſis, cuius *Elementa artis Logico-criticæ* omnium manibus teruntur. Plures ille veteres Philoſophos nominat, atque ex recentioribus novatores, qui duobus retro ſæculis hanc ſpartam ornandam ſuſcepere, ſcilicet Laurentium Vallam, Rodulphum Agricolam, Ludovicum Vives, Petrum Ramum, & Baconem de Verulamio. Poſtremi hujus ſcriptoris eximiis ſane laudibus efferendi profert *Novum Organum*, in quo inductio analytica ſyllogiſmo anteponitur; ſed omittit quæ prolixiori oratione Baco docuerat in libro V. alterius operis *de Augmento ſcientiarum*. A Bacone ad Gaſſendum

dum gradum ſibi facit Genuenſis, ad Hobbeſium, ad Carteſium, & ad Arnaldum, cui utrum aſcribenda ſit *Ars cogitandi* nonnulli dubitant. Recenſitis dein cum Mallebranchio iis, qui præcepta Logicæ ex principiis mathematicis deduxerunt, diligentius proſequitur, quæ ſcripſit Joannes Lockius in libris *de Intellectu humano*, & quæ publici juris fecere Chriſtianus Thomaſius, Poiretus, Rudigerus, & in metaphyſicis attritus Chriſtianus Wolfius. Nominari potuiſſent a Viro clariſſimo Claubergius, Clericus, Buddeus, Crouſatius, Titius, Groſſerius, Graveſandius, & alii, quorum veſtigia paucis ab hinc annis preſſerunt de Soria, Fromond, Jacquier, & quem plurimi facio Florianus Dalham.

Viderint noſtrorum Juvenum Præceptores quas ſegetes ex hoc campo feraciſſimo colligant, & ſua in horrea transferant. Ab externorum corporum preſſione ſenſationum organa percellente materialem repræſentationem objectorum in cerebro delineari, atque ex illa *mentis perceptionem* gigni, & inde *ideam* oriri inficiatur nemo. Ad conciliandam idearum claritatem, & diſtinctionem, atque ad augendam langueſcentis memoriæ vim ſeries Categoriarum, & Univerſalia utilitatem aliquam afferent, ſi tamen parciſſime de utriſque diſſeratur; multoque plus proderit examen idiomatum, & vocabulorum, quorum ſubſidio ideæ communicantur, & quæ jure optimo vocata ſunt prima ſocietatum vincula, & ſcientiarum elementa. In illis tamen, quæ de *Alphabeto Naturæ*, ut appellatur ab Edmundo Chiſſul, ſive de *Lingua primitiva* ſcripſerunt Stephanus Morinus, Warburthonus, Calmetus, & ſexcenti, quos prætereo, hiſtorica brevitate arbitror utendum, ut a tyronibus intelligatur qua via, quave ratione didicerint homines vocum, & vocabulorum auxilio ideas exprimere, eaſdemque in aliorum hominum

no-

notitiam deducere. Vocabula vocabulis addita ideas plures complectuntur, quas rudiores incolæ terraquei globi signis, picturis, & hieroglyphicis expressisse, monumenta plura ab edacitate temporis immunia testantur.

Plurium itaque idearum complexio, & relatio viam sternit *Judicio*, sive *sententiæ*, quam Scholastici *Propositionem* vocant, a qua *Ratiocinatio*, & *Methodus* cum *synthetica*, tum *analytica*, quo ad illarum indolem, & finem non secernuntur. Multiplicem Propositionum naturam accurate enucleat Arnaldus; & ab eo desumi similiter poterunt ratiocinationis præcepta, & regulæ *Syllogismorum*, quos a scholis eliminandos non esse contra Lockium facile intelligent, quicumque experimentales inductiones a sublimioribus speculationibus segregaverint. Assentientur etiam *Socraticæ disputationi*, absque ullo tamen Syllogismi detrimento; sophismata, & fallacias a tyronibus vitandas exponent, & eas inter locum dare poterunt *argumento ab invidia ducto*, quo Joannes Clericus pessime abutitur.

Hisce omnibus libratis, expensisque, via sternetur ad cognitionem *Veritatis*, & ad *Criterium* illius. In quo nam criterium collocari debeat facile intelligetur, quotiescumque secernatur a mediis veritatis cognoscendæ. Veritas cognoscitur per evidentiam, si de humanis loquamur, si verò de divinis, tunc firmum ab hominum voluntate assensum extorquebit Fides, quæ Dei falli, & fallere nescii veracitati innititur. Quod vero inter se fides, atque scientia fœdus inire possint circa idem objectum, quæri debet, assumptis, quæ doctissimus Huetius protulit argumentis. *Probabilitatis* examen postremum occupabit locum, quod officium est *Artis criticæ*, cujus præcepta penes Joannem Clericum caute legenda, ab Honorato a S. Maria, a Floriano Dalham, ab Eusebio Amort, & ab Antonio Genuensi vario tamen ordine colliguntur. Juvenes, quorum

præ-

præcipui labores in ſtudia theologica dirigi debent, plura invenient non contemnenda in Euſebio Amort, qui in cæteris philoſophicis doctrinis inſuavis apparet, & ſcholaſticam trituram graviter olet.

A Logica, ſive ab arte humanæ rationis directrice deveniendum eſt ad *Metaphyſicam*, cui *Scientiæ univerſalis* Scholaſtici veteres nomen dedere. Hanc provinciam tractandam acceperunt ex nationibus ſingulis præſtantes viri Carteſius, Regis, le Grand, Mallebranchius in Gallia; Morus, Cudworthus, Lockius Clarckius in Anglia; Leibnitius, Wolfius, Thumingius, Baumgartenus in Germania; in Italia Corſinius, Doria, Iacquierus, Genuenſis; in Hollandia Clericus, & Graveſandius. Multo frequentiores tamen ſunt illi, quibus placuit metaphyſica quædam argumenta verſare. Scriptores, qui pro vindicanda adverſus Atheos æterni Numinis exiſtentia ſuam ſymbolam contulerunt, quique hominum mentem ſubſtantiam, eſſe ſpiritalem contra pneumatophobos demonſtrarunt, numerari vix poſſent. Cæterarum gentium Philoſophis palmam Angli præripuiſſe viſi ſunt, poſtquam præſertim e cathedra Boylæa veluti e perenni fonte tot dimanarunt lucubrationes, quas Burnetus collegit. Antiquis Græciae ſapientibus, & ævi medii ſcholaſticis plurimum debet Metaphyſica, quamvis illi vera cum falſis, iſti utilia cum vanis, inanibuſque confuderint, & permiſcuerint. Suas tamen utrique divitias poſſident, quibus recentiores locupletatos fuiſſe nemo omnium ignorat.

In Metaphyſica generatim ſumpta traduntur rationes, & cauſſæ rerum poſſibilium; quamobrem pluribus placuit *Poſſibilitatem*, ſive *ad exiſtendum non repugnantiam* aſſumere pro fundamento eſſentiali *Entis*, cujus proprietates a tyronibus inveſtigandas accuratiſſime proſequuntur Purchotius, Genuenſis, & Jacquierus. Entis idea, & vocabulum ſubjacet diviſioni; atque

ita Ens necessarium, æternum, infinitum, segregatur ab Ente contingente, temporaneo, suisque limitibus clauso. Illud vocatur *Deus*, & in istius censu numerandæ sunt *Substantiæ* omnes *creatæ*, quæ si materiæ cujuslibet expertes fuerint *Spiritus* appellantur; ex materia compactæ, *Corpora*; ex materia demum atque ex spiritu coalescentes, *Homines*.

Ad Deum tendere debent, atque in illum tanquam in scopum collimare nostrorum Juvenum studia. Quaecumque ad *Theologiam naturalem* pertinent in prima hac, & nobilissima *Pneumatologiæ* parte edisserenda erunt, ut animus præparetur ad ea, quæ a revelationis illustratione dependent. Sat erit calcare vestigia Grotii, Clarckii, Gerdili, Fenelonii, aliorumque Religionis Christianæ athletarum, qui ex indito nobis rationis lumine Dei existentiam, & attributa deducere noverunt, ut gradum facerent revelationi, qua rationis ejusdem imbecillitas regitur, & sustentatur. Quod si Divinitatem naturalium argumentorum subsidio scrutentur, de singulis Atheismi generibus a Cudworthio accurate distinctis triumphabunt, malum cum physicum, tum morale Divinæ bonitati neutiquam officere ostendent, Dei, qui immotus movet omnia, intelligent opera, & voluntatem, etiam in ratione finis, cui audacissimi Fatalistæ opponuntur, & absque alterius Principii concursu, ut Polytheistarum evertantur systemata.

Neque unus *Deus* est, cuius inter attributa immaterialitas recenseatur. Negari enim non debet existentia *Spirituum*, a qualibet materiali concretione immunium, & *Mentis humanæ*, quæ pro Leibnitiana monade assumi non debet, quamvis ob ingenitam intelligendi vim *Speculum universi repræsentativum* analogice vocari possit. Mentem, sive animam inter & corpus *vinculum* quoddam admittendum esse fatebuntur, cujus beneficio pro motu corporis ideæ conformes excitantur

in

in anima, & hac imperante, debitas corpus elicit operationes. Systema *Causarum occasionalium* ex Cartesio instauratum a Mallebranchio, ***Harmonia præstabilita*** Leibnitii, & Wolfii, & ***Influxus physicus*** Scholasticorum tot, tantaque patiuntur incommoda, ut sapientibus hæreat aqua, & quid consilii capiendum sit dubitent. Priora duo mihi semper invisa fuerunt, quia lædere videntur hominis libertatem, germanamque corporis cum anima connexionem. Plura alia ad Metaphysicam pertinentia prætermittuntur, quia de eisdem commodius in postrema parte Physices differetur.

Annus Secundus.

P H Y S I C A


Mplissimum ***Physicæ*** regnum contemplationem, atque investigationem amplectitur omnium corporum, quibus Universi compages construitur, atque perficitur. Scriptores, qui de nobilissima hac Philosophiae parte verba fecerunt impossibile foret enumerare; quamobrem vehementer probatum iri censeo illorum consilia, qui Tractatum, sive ***Dissertationem Historico-Criticam*** Physicæ universæ præmiserint, & in illa veterum, recentiorumque sententias de mundi origine, & constitutione, de rerum principiis, de corporum qualitatibus, & affectionibus, deque aliis præstantioribus Physicæ argumentis manifestaverint. Historia enim quædam Philosophiæ universæ brevibus lineamentis adumbrata maximam pariet utilitatem, & ne ampliora volumina nominentur Heumanni, Brucheri, aliorumque, sat erit pro exemplaribus sibi

proponere nostri Leonardi Cozzandi librum de *Philosophorum magisterio*, succulentam *Historiam philosophicam*, quam Heineccius præmisit *Elementis Philosophiæ Rationalis*, & *Moralis*, atque *Dissertationem*, quam Genuensis inseruit tomo primo editionis secundæ *Elementorum Metaphysicæ*. In statuendis corporum naturalium *Principiis* Philosophos quosdam Elementa metaphysica, & a sensibus remota elegisse, alios mechanica, cæteros sensibilia meipsum aliquando docuisse memini. Revera si primigeniæ Atomistarum, sive Newtoni particulæ proponantur, accedente mutuo earum plexu, & attractionis vi, quorumlibet corporum compositio intelligetur, quamvis sub judice pendeat illarum secabilitas, sive in infinitum divisio. Particularum earumdem distributio, & symmetria *Formas* constituit corporum, quorum essentiam menti humanæ imperviam esse testantur homines sagacissimi. In hoc tamen investigando labor irritus insumi non debet, cum a Physicorum oculis essentia, atque existentia non secernantur.

Temporis, *Locique* investigationem illustrando Physicæ regno maxime opportunam esse nemo omnium ignorat. Illud egregie definitum a Musschembroechio in relativum, & absolutum dividitur, ita tamen, ut uniformitas perpetuæ durationis repetenda sit a *Tempore* absoluto, quod Newtoniani exprimunt cum Davide Gregorio per motum æquabilem,* lineam, summamque momentorum quorumlibet repræsentantis. Temporum multiplex distributio a Chronologis tradita brevissime hoc loco delibanda erit, ne utilitate ex antiquarum præsertim ætatum partitionibus proveniente Juvenes nostri fraudentur. *Locus* & ipse relativus dicitur, si corpus in loco positum cum aliis in aliis locis positis corporibus conferatur; & absolutus, si animo concipiatur immensum spatium, in quo corpora quælibet quiescunt, aut errant. Hæc autem placuit non in alium

finem

* imaginarii Planetae aut lineae rectam describentis

finem repetere, nisi ut exulatum abire jubeantur Ubicationes Aristotelicæ, modalesque Entitates locatis corporibus superadditæ, & ut concedatur Infinitæ virtuti potestas eodem in loco plura corpora collocandi, & inducendi Vacuum coacervatum, ad quod proxime accedit medium non resistens, in quo circa Solem feruntur Planetæ. *Motus* tandem, quo ignorato Naturam ignorari necesse est, unicus defendi debet contra Peripateticos, nempe localis in absolutum dividendus, & in relativum. Pro localis motus indole cognoscenda Newtonianæ *Leges* explicandæ sunt cum legitimis, quæ ex eisdem nascuntur consectariis, illis præsertim, quæ referuntur ad vim *Inertiæ*, ad vim *Attractionis* singulis materiæ partibus insitam, ad *Vires vivas*, in quarum mensura quadratum velocitatis locum non habet, ad gravium projectionem, ad oscillationes pendulorum deflectentium in Peruvianis montibus a perpendiculari, ad vires *centripetas*, & *centrifugas* cœlestium corporum motibus accomodandas, ad Solidorum in substantias liquidas immersionem, ad Staticæ, & Hydrostaticæ leges, ad Elaterium, ad Electricitatis principia, & ad substantialem corporum genesim, eorumque fermentationem, & corruptionem.

A Physica generali ad particularem investigandam progredientur tyrones, quibus *Elementa*, quæ Ocelliana, vocantur se offerent, & primo *Ignis*, in quo cum calore, extensio corporum, & lumen visivam facultatem afficiens, accuratum examen postulant. Prolixius tamen versabuntur in investiganda *Lucis* natura, sive substantia illa subtilissima, quæ celeritate incredibili dimanat a corpore lucido, & in diversæ densitatis mediis refrangitur ob Attractionis legem, quam invenire poterunt in refractione septemplicis radii, cui colorum genesim cum Newtono tribui opus est. *Fulmina*, quæ prope terram aliquando oriuntur, electricis experimen-

tis

tis illustrari debent, sicuti *Auroræ boreales* observationibus Parisiensibus supra Solis atmospheram repetitis, ut inde inferatur cum cl. Mayrano ex quadam solari, sive zodiacali luce easdem oriri. *Aer* terraqueum globum undique cingens grave est, & elasticum; & ex utroque attributo innumeri effectus proveniunt, qui Physicorum ingenia exercent. Aeris raritas distantiæ a globo terrestri commensuratur, & illius æquilibrii turbatio generat *Ventos*, quos perpetuo flantes inter utrumque tropicum non sine assignabili caussa nautæ experiuntur. Ad aerem referendus est etiam *Sonus*, cuius propagationis leges Academici Florentini Newtono rogante, & Musschembroechius tradidere. *Aqua* & ipsa Elementum est, quod in vapores solutum per ampla aeris spatia diffunditur, & in ipsamet congelatione rarescit. Inter aquæ meteora *Iris* consideranda erit, cum radiorum solarium reflexionibus, & refractionibus, de quibus primo Cartesius, dein Newtonus consulendi. *Terra*, ex qua tot coalescunt corporum species, controversiam dirimendam offeret suæ ipsius *figuræ*, quam spheroidis esse versus Polos compressæ post Kepleri, atque Newtoni conjecturas immortales Parisiensium labores evincunt. *Montium origo* diluvianis aquis vetustior statuenda videtur: quamvis *Testacea* nodum exhibeant a feliciori sæculo dissolvendum. Flammæ, quas montes evomunt, internam sulphuris, bituminisque accensionem produnt; atque inde *tremor*, & concussio Terræ repetenda est, non ex aquarum impetu, non ex aere interius compresso, non ex aeris externi elasticitate, & violentia. *Marini æstus* reciprocatio, & *fontium origo* argumenta erunt historice potius, quam dogmatice tractanda.

Corpora etiam, quæ intrinseco vitali motu fruuntur Juvenum nostrorum oculis subjicienda sunt. Quod *Plantæ* vegetandi, & *Bruta* seipsa movendi facultatem

ha-

habeant, & quod non ex putrescente materia, sed illa nascantur ex semine, sive ex surculi, germinisque insitione, ista quamvis vivipara ex ovo fœcundato, & non ex animalculis Hartsoecheri probari debet. *Naturas plasticas* universales pro terraqueæ molis directione, & speciales pro viventium genesi a Cudworthio, Grewio, & Clerico inductas inter ægrorum somnia reponant, & per illas gravissimam Deo injuriam irrogari animadvertant. *Vitale principium*, quo Bruta moventur determinari vix poterit; sed quæ Rorarius, atque Bullierus de anima spirituali, quæque Cartesius, & Pereira de automatis manu sapientissimi Artificis elaboratis scripserunt, negligenda non sunt. Horret vero animus inter machinas ex nudis materiæ partibus coalescentes mentem humanam collocare, quando impossibile est *Cogitationem* assumere pro materiæ attributo. Uniuscuiusque hominis *Anima* Deum habet Creatorem, non tamen in mundi exordio, sed post conceptionem fœtus; quamobrem improbandi erunt Du-Vigierus, Leibnitius, & Wolfius Platonicæ fabulæ renovatores, sicuti nec firmis vallata argumentis censenda opinio Fabri, & Mallebranchii, qui hominum corpuscula in primo homine latentia effinxerunt. Cogitatio, qua materiam quantumvis actuosam, vividamque spoliavimus, homini competit, non ita tamen ut *animæ essentia* in cogitatione reponenda sit. Homini similiter convenit ratio *caussæ*, nedum occasionalis, sed etiam efficientis, non vero creatricis. Postrema enim haec soli tribui debet Omnipotentiæ, a qua *mundum* in tempore e sinu nihili fuisse eductum ita demonstrandum est, ut possibilitas quoque æternæ illius creationis repugnet. Neque aliam Deus sibimetipsi rationem sufficientem in orbis efformatione proposuit, nisi liberam voluntatem, & quæ Leibnitiani argumenta congesserunt, opus sunt periculosæ plenum aleæ, quo vitio laborat etiam impossibilitas

litas duorum perfecte similium, & *Identitatis indiscernibilium* doctrina.

Quamvis autem Universi moles infinita vocari non debeat, amplissima tamen occupat spatia, quorum dimensionem Astronomorum sagacitas labore non irrito aggressa est. *Astronomiae* igitur prima Elementa, & systemata Ptolomaei, Tychonis, & Philolai, sive Copernici breviter exponenda erunt, & hypothesi Copernico-Keplero-Newtonianae acquiescendum, ut manifestentur *motus ellyptici* Planetarum ex gravitationis principio, atque ex eorum distantiis a Sole deducti, *Solis* circa proprium axem rotatio, areae, quae a planetis describuntur temporibus proportionales, fixarum aberrationes, *Cometarum* periodi a Cassino, & Wistono delineati, *Eclypses*, aliaque plura Juvenum indoli, & idoneitati aptanda, ut haec etiam opera infinite sapientis mentem testantia mirentur. Physicae generalis praecepta tradiderunt Corsinius, Martinus, Crivellus, Regnaultius, Fortunatus a Brixia, Iacquierus, & alii, qui Cartesii, Gassendi, Newtoni, aliorumque philosophantium doctrinas expendere, & quae veritati conformia viderentur, amplecti, & proponere curaverunt Pro Physica particulari recedendum non est nisi in paucis a Gravesandio, Musschembroechio, Pembertonio, & pro coelesti a Gregorio, Keilio, & de-Landio. Scriptorum quos nominavimus labores typis editi ubique prostant. Si qui autem felici sidere nati altius in philosophicis voluerint assurgere, alios praestantissimos, a quibus erudiantur Magistros reperient.

An-

Annus Tertius.

JUS NATURALE, ET PHILOSOPHIÆ MORALIS PRINCIPIA.

UNi Deo *Enti necessario*, & infinita potentia prædito, non solam creandi, sed etiam *creata* quælibet *conservandi* virtutem competere, naturalis ratio testatur. Quælibet præterea rerum creatarum operationes intelligi nequeunt sine *concursu* Dei proximo, & immediato, quem Thomistæ per physicam præmotionem, alii per moralem determinationem exponunt. *Providentia*, & ipsa attributum est, cujus ope diriguntur a Deo creata quælibet in suum finem. Ex hoc multiplici titulo sequitur absolutum, plenumque *dominium* Dei in creaturas. Homines propterea subjacent Deo creatori, conservatori, provisori, & domino. Ab eo acceperunt animam spiritualem, immortalem, suisque in actibus *liberam*. Hobbesius, Spinosa, Thomasius, Coccejus, aliique humanæ libertatis osores, ineluctabile *Fatum* in scenam revocant, jure meritoque a sapientibus improbandum. Quamvis enim voluntas feratur in bonum, adhuc *libertas* illius non destruitur, neque *indifferentia activa*, quæ præviam cognitionem supponit, rectæque innititur rationi, quam inficiatur, aut saltem subdole exponit Hobbesius. In usu autem rectæ rationis *voluntas* ab *intellectu* dirigitur, quod Puffendorfius indebite negat, & hæc directio, ut præmonui, tendit in *bonum*, quod objectum est voluntatis integrum, & essentiale; quamobrem audiendi non sunt, qui voluntatem allici

 com-

comminiſcuntur a voluptate cum Epicuro, a ſpe, ſive a metu cum Spinoſa, ab utilitate cum Machiavello. Hæc enim concutere, atque etiam movere poterunt hominis mentem, quotieſcumque boni ſpeciem induant.

Ex hominis libertate ſequitur *neceſſitas legis*, quam æternus, & ſapientiſſimus Proviſor imprimere quodammodo debuit mentibus hominum, ut in verum ſincerumque bonum ſuos actus dirigerent, & ab inani, & fallaci, pedem retraherent. Operam ludit Schmauſius, qui hominem *ſine lege creatum* affirmat, & Helvetius, qui naturalis legis vocabulo deſignat *inſtinctum* quem animalia quælibet a natura acceperunt. Ex lege tradita creaturæ rationali liberæ, ſequitur *Imputabilitas*, de qua Puffendorfium differentem caute catholici conſulant. Quicumque leges a Deo inſculptas hominum cordibus cum Thomaſio, & Fleiſchero pro meris *conſiliis* aſſumpſerint, Deo legislatori injuriam irrogant, imputabilitatem enervant, ejuſdemque effectus de medio tollunt. Imputabilitas Deum cognitorem, & *judicem* ſervatæ, violatæque legis ſupponit, *præmia* diſtribuentem & *pœnas*. Commoda, & ærumnæ, quæ ſinente Numine a cauſſis ſecundis dependent, præmiorum, pœnarumque loco ſtare nequeunt; ac propterea ex eadem imputabilitate neceſſitas *alterius vitæ* eruenda eſt. Impoſſibilis itaque erit *Atheorum Reſpublica*, in qua nullus inſtare ſupponitur ultor poſt mortem Deus, ſicuti evidentibus argumentis contra Baylum Warburthonus oſtendit. Lege autem hac naturali hominibus quibuſcumque proviſum eſt, pro *confœderatione* etiam illorum *civili*. Regnandi propterea poteſtatem Principes ex hac naturali lege in ſeipſos derivant, & Divinæ, Regiæque majeſtatis reus exiſtimari debet Hobbeſius, qui Principes jure regnandi frui docuit propter *potentiam*, & ſubditos ad obediendum impelli ab eorum *imbecillitate*.

Primaria Lex a Deo tradita, & independenter

a

a Legislatore intrinsece bona, vocatur *Jus naturale*, cujus investigari debent principia, fundamentum, finis, obiectum, & proprietates. Heineccius, qui *amorem Dei*, *suiipsius*, & *proximi* posuit pro Juris naturalis *principio* genuinum expressit illius characterem, a quo parum distant Barbeyracius, & Burlamacquius, qui Religionem, sui, proximique amorem, & Finettus, qui custodiam naturalis ordinis in hæc eadem tria capita dispertitam pro Juris naturalis principio considerant. Minus recte de hoc principio senserunt Rousseau, qui amorem sui, & commiserationem aliorum, Hobbesius qui propriam conservationem, Puffendorfius qui socialitatem, Thomasius qui opera tendentia ad diuturnitatem, & felicitatem vitæ, Wolfius qui hominis perfectionem pro Juris naturalis primo, & præcipuo fonte proposuerunt.

Sicuti vero *fundamentum* cognitio, ita & *finis* proximus Juris naturalis *custodia* erit, & *exercitium* amoris Dei, sui ipsius, & proximi. Et quamvis non prohibeamur pro secundario fine, & mediato ejusdem Juris felicitatem, ab exercitio triplicis amoris deductam assumere, acquiescendum tamen non est Wolfio affirmanti ad Jus naturale servandum teneri neminem, qui de assequenda felicitate desperet. Quod Juris naturæ *objectum* liberæ sint hominum actiones, apud omnes in confesso est; quod vero etiam internæ ad illud referantur, contra Puffendorfium ostendi poterit. Aeternitas, necessitas, & universalitas, *proprietates* sunt ejusdem Juris accurate exponendæ. Finettus cum aliis inter Juris ejusdem proprietates numerat *obligationem*, quam pro effectu sumendam arbitror, ut clarius etiam appareat, cur spes, & metus male sumantur a Thomasio, tanquam obligationis caussæ, cum sint externa pro custodia legis incitamenta.

Præmissis generalibus doctrinis, quæ pertinent

 ad

ad Jus naturale, *Officia* hominis erga *Deum*, erga *seipsum*, & *alios* exponenda erunt, ut finis proximus Juris naturalis clarius innotescat. Cum igitur *Deo* accepta referri debeant omnia, quæ ad homines pertinent, & de nullo gloriari possint, quod ab eo non acceperint, illum toto animo, & super omnia tenentur diligere, interno, externoque cultu colere, ejusdemque legem implere. ***Amor*** suimet ipsius externam corporis conservationem, unde oritur Suicidii scelus, internunque regimen complectitur, cum studio assequendæ virtutis, cum fuga vitiorum, rerumque temporalium usu moderato. Proximi tandem *dilectio*, sollicitos reddere debet homines erga Principem, erga Patriam, erga Sacrorum Ministros, erga familiam, erga alios homines universos, gradatione quadam adhibita, quam susiori oratione Grotius prosequitur, & in syllogem tyronibus utilem Purchotius contraxit.

Virtutis dilectionem, fugamque vitiorum, Jus naturale generali quodam præcepto nobis insinuat, ut consequi valeamus felicitatem, quam Deus nunquam desinit procurare hominibus quibuscumque, & in quam tendunt perpetuo nisu eorumdem hominum vota, & actiones; sed *Moralis Philosophiæ* proprium est æqua lance actiones easdem expendere, & cum lege æterna comparare, ut bonitas, sive malitia earumdem manifestetur. Hisce enim mediis, hac arte, ***Ethica*** iter præparat ad summum bonum, veramque felicitatem, & ita intelligitur, Heineccio animadvertente, quomodo haec disciplina segregetur a Jure naturæ. *Canones*, & regulæ morum proponuntur ab Ethica, quæ in apertum deducit virtutes æternæ, & incommutabili Bonitati conformes, sicuti & vitia, quæ ab eadem Bonitate deflectunt, eidemque opponuntur. Quæritur etiam ab Ethica, utrum quilibet actus humanus singulariter sumptus, & in individuo, ita cum morum regulis

gulis consentiat, aut ab illis diffideat, ut nunquam *indifferens*, sed bonus, aut malus moraliter, & intrinsece vocari debeat: utrum *affectus animi* moralis scientiæ legibus subjiciantur, quave methodo temperentur: utrum denique in politico societatis regimine *vitia* necessario locum habere debeant, sicuti in Apum fabula Mandevillius labore irrito evincere conatus est.

Juris naturalis principia plurimorum exercuerunt Scriptorum ingenia. Quæ Hobbesius, Grotius, Cumberlandius, Puffendorfius, Thomasius, Wolfius, Burlamacquius, Heineccius, & ex Acatholicis alii, ad hanc spartam ornandam congesserunt, maturo, serioque librentur examine; quando ex doctrinis breviter recensitis apparet, eos studio partium abreptos, & novitatis cupidine accensos sæpe falsa, & perniciosa dogmata proposuisse, quæ emendatrice catholici Praeceptoris manu frequenter indigent. Quos autem consulendos proponam Catholicos, ne a recta semita deflectendi incautis, & non satis emunctæ naris nostrorum Juvenum Magistris, præbeatur occasio? In operibus Patrum, quos inter eminet pro hoc argumento in libro de *Officiis* S. Ambrosius, plura invenientur egregie dicta, & a virulentis Barbeyracii morsibus perperam lacessita, & plura in veterum Scholasticorum voluminibus, præsertimque in libris Angelici Doctoris *contra Gentiles*. Duos ego recentissimos Scriptores proponam, videlicet Thomam Cerbonium ex præclarissima Fratrum Prædicatorum Familia, & Joannem Franciscum Finettum Venetum. Ille in tribus *naturalis Theologiæ* libris Romæ evulgatis anno 1768. postquam libro II. quæst. 6. de libertate hominis egregie disseruisset, libro III. quæst. 5. naturalis Legis principia revelat, aliaque plura argumenta versat tyronibus, eorumque præceptoribus utilissima. Iste vero satis amplum *de Jure naturæ* commen-

mentarium scripsit, eruditisque ejusdem laboribus me debere plurimum ingenue fateor.

Moralis Philosophiæ rudimenta tradidit le Grand in gallico opere *de homine ab affectibus libero*, cui addi poterit ejusdem nationis scriptor de la Chambre, in suis *caracteribus passionum*, nec non Claramontii aureus liber *de conjectandis latentibus animi affectibus*. Ex recentioribus illi, qui Cebetis tabulam, Stoicorum, & Socraticorum, Zoroastri, Confucii, aliorumque veterum Philosophorum moralia præcepta illustraverunt nomina, & scripta, in Historia Philosophica Bruckeri indicata reperientur. *Moralis Philosophia* Emmanuelis Thesauri parvipenditur, quia inutilia utilibus permiscet. *Institutiones Ethicas* omnium optimas dederunt Hornejus, & Kippingius; verum utriusque scriptoris opera in Bibliothecis pulverulenta jacent. Purchotii *Ethicam* pro usu scholarum commendatam præceptores assumant, si meliori scriptore destituantur, qui a revelatis, naturalia Moralis Philosophiæ documenta segregare docuerit.

DUBIA

DUBIA ET QUÆSTIONES

Datis fortibus solvendæ in experimentis, quæ præmittuntur Graduum assecutioni.

Annus Primus

EX LOGICA, ET EX METAPHYSICA:

1. Quid sit Logica, quodnam Logicæ objectum, & quænam ejus partes.
2. Quid sit perceptio; quid, & quotuplex sit idea, & quomodo in mente hominum ideæ formentur
3. Qua via, quave ratione didicerint homines vocum, & vocabulorum auxilio ideas exprimere, easdemque in aliorum hominum notitiam deducere.
4. Quid sentiendum sit de Hieroglyphicis aliisque signis, & characteribus pro idearum communicatione.
5. Quid sit Judicium, & quid Propositio, & quotuplex.
6. Quid sit Ratiocinatio, & an intellectus cogatur assentiri propositioni, sive conclusioni deductæ ex syllogistica forma.
7. An Syllogistica forma e scholis sit eliminanda.
8. Quæ utilitas inferri possit ex sorite, ex dilemmate, atque ex methodo disputationis Socraticæ; & an locum habeat inter sophismata argumentum ab invidia ductum.
9. Quænam sint media Veritatis cognoscendæ, & an Cartesiana de omnibus dubitatio inter ea locum habeat.
10. Quodnam sit principium mentis directivum in scientia acquirenda, seu veritatis Criterium.
11. Quid, & quotuplex sit evidentia, & quid sit scientia, quæ per evidentiam acquiritur.
12. Utrum fides, & scientia simul inveniri possint in eodem intellectu, circa idem objectum.

13.

13. Quid sit probabilitas, & opinio, & utrum illarum conjunctionem scientia patiatur.
14. Quid sit Ars Critica, & quænam ejus nobiliora præcepta; & quomodo probabilitate utatur pro veritatis quantum fieri potest assecutione.
15. Quid sit Metaphysica, quodnam Metaphysicæ objectum, & quænam ejus partes.
16. An Possibilitas sit essentiale Entis fundamentum.
17. Quotuplex sic Ens, & quæ Entis proprietates.
18. An, & quibus argumentis metaphysicis, physicis, & moralibus Entis supremi, seu Dei existentia, ejusque Attributa demonstrentur.
19. An malum cum physicum, tum morale Divinæ officiat bonitati.
20. An Deus immotus, & absque alterius principii concursu, omnia moveat voluntate libera, etiam in ratione finis.
21. An præter Deum agnoscendæ sint aliæ substantiæ spirituales a qualibet concretione materiali immunes.
22. An Mens humana sit omnino incorporea, & spiritualis.
23. An dentur in humana mente ideæ innatæ.
24. An mentem, seu animam inter & corpus vinculum quoddam admittendum sit, cujus beneficio pro motu corporis ideæ conformes excitentur in anima, & hac imperante, debitas corpus eliciat operationes.
25. An hujusmodi vinculum per systema caussarum occasionalium recte explicetur, cum Cartesio, & Mallebranchio.
26. An per harmoniam præstabilitam Leibnitii, & Wolfii.
27. An per influxum physicum Scholasticorum.

An-

Annus Secundus

EX PHYSICA.

1. QUid sit Physica, quodnam ejus objectum, & quænam sint Physicæ partes.
2. Quænam corporum naturalium principia sint admittenda.
3. An admissis primigeniis Atomistarum, seu NeWtoni particulis, accedente mutuo earum plexu, & attractionis vi, quorumlibet corporum compositio intelligatur, earumdemque particularum distributio, & symmetria, formas constituat corporum naturalium.
4. An quælibet materiæ pars sit in infinitum divisibilis.
5. Quid sit tempus, & ob quam caussam dividatur in absolutum, & relativum.
6. Quænam sint temporum distributiones a Chronologis traditæ, & quæ sint ætatum praesertim antiquarum partitiones
7. Quid sit Locus, tam absolutus, quam relativus.
8. An virtute divina plura corpora eodem in loco simul esse possint.
9. An possibile sit Vacuum coacervatum, & disseminatum.
10. Quid sit Motus localis tum absolutus, tum relativus.
11. Quænam sint primariæ Motus leges juxta NeWtonum, & quænam earumdem legum consectaria.
12. Quid sit Attractio, & an attractionis vis omnibus materiæ partibus insita sit.
13. An admittendæ sint Vires vivæ, & in earum mensura locum habeat velocitatis quadratum.
14. Quibus legibus subjaceant corpora, quæ moventur ob vim sibi impressam, & ea quæ descendunt perpendiculariter, & in plano inclinato.
15. Quænam assignanda sit caussa, cur in montibus Peruvianis pendula oscillatoria a perpendiculari deflectant.
16. An admittendæ sint vires centripetæ, & centrifugæ.

17. Undenam repetenda ſit corporum cohaerentia.
18. Quænam ſint Staticæ leges.
19. Quænam ſint leges Hydroſtaticæ.
20. Quid ſit Elaſticitas, & quænam Elaſticitatis cauſſa.
21. Quænam ſint Electricitatis principia.
22. In quonam ſtatuenda ſit corporum fluiditas.
23. Unde oriatur fermentatio, & corruptio corporum.
24. In quonam collocanda ſit ignis eſſentia, & natura.
25. An Lux ſit ſubſtantia ſubtiliſſima e corpore lucido dimanans, & quomodo propagetur.
26. An ad'mittendum ſit Nevvtonianum Syſtema lucis, atque colorum, & quomodo ſuppoſita hac theoria, corpora colorata appareant.
27. An Fulmina tam prope telluris ſuperficiem, quam longe ab ipſa, ac in nubibus efformentur, & oriantur.
28. Quænam ſit Fulminum materia, inflammationis cauſſa, & modus operandi.
29. An Aurora Borealis ex quadam ſolari, ſeu zodiacali luce oriatur.
30. Utrum Aer ſit gravis, & elaſticus.
31. An ſuſpenſio Mercurii in tubis Torricellianis ab aeris preſſione, & gravitate ſit repetenda.
32. Quænam ſit cauſſa variationis altitudinis Mercurii in barometro.
33. An aeris raritas diſtantiae a globo terreſtri commenſuretur.
34. Quomodo generentur Venti.
35. An ſonus propagetur per undas aereas a tremulo motu partium inſenſibilium corporis in ipſo aere excitatas.
36. Quænam ſint leges propagationis ſonus ab Academicis Florentinis, & a Muſſchembroechio traditæ.
37. Quomodo efformentur vapores, & exhalationes; & quaenam ſit eorumdem elevationis, ac deſcenſus cauſſa.
38. Quænam ſint Iridis phænomena, & quænam ſit Iridis natura, & cauſſa.
39. An Terræ figura ſit ſpheroidis verſus Polos compreſſæ.
40. Utrum Montes tempore univerſalis diluvii fuerint efformati, & quæ ſit vera cauſſa Teſtaceorum.
41. Undenam repetenda ſit Terremotus cauſſa.
42. Quænam ſit cauſſa marini æſtus.
43. A quonam principio plantarum origo deſumi debeat.

44. Utrum Animalia omnia nascantur ex ovis.
45. An admittendæ sint Naturæ plasticæ universales pro terraqueæ molis directione, & speciales pro viventium genesi.
46. Quid sentiendum sit de principio vitali, quo bruta moventur, an in ipsis agnoscenda sit anima spiritualis, an vero dicendum sit bruta esse pura automata.
47. An materia cogitare possit.
48. An anima humana Deum habeat creatorem in mundi exordio, an vero post fœtus conceptionem.
49. An admittenda sit opinio Fabri, & Mallebranchii, qui hominum corpuscula in primo homine latentia effinxerunt.
50. An animæ humanæ essentia in cogitatione sit reponenda.
51. An caussæ omnes creatæ sint mere occasionales, & an homini conveniat ratio caussæ efficientis.
52. An homini convenire possit ratio caussæ creatricis, an vero soli Divinæ Omnipotentiæ sit tribuenda.
53. An Mundus in tempore, & ex nihilo fuerit a Deo eductus.
54. An Mundus potuerit creari ab æterno.
55. An Deus in mundi creatione nullam aliam rationem sufficientem sibimetipsi proposuerint, nisi suam liberam voluntatem.
56. An admittendum sit principium, quod vocant identitatis indiscernibilium a Leibnitio, & Wolfio inductum; & an dari possint duo entia perfecte similia.
57. Ex tribus mundi systematibus Ptolomæi scilicet, Tychonis, & Copernici, quodnam admittendum esse videatur.
58. Utrum motus ellyptici Planetarum deduci debeant ex universali attractionis, sive gravitationis principio.
59. Utrum probabile sit Planetas incolis suis non carere.

Annus Tertius.

EX JURE NATURALI, ET EX PHILOSOPHIÆ MORALIS PRINCIPIIS.

1. AN naturali ratione constet Deo creata quælibet conservandi virtutem competere.
2. An Deus immediate concurrat ad creaturarum operationes, & quomodo.
3. An Deus providentia sua creata quælibet dirigat in suum finem.
4. An Deo competat absolutum ac plenum Dominium in creaturas.
5. An homines subjaceant Deo creatori, conservatori, provisori, & domino.
6. An anima hominum spiritualis, sit etiam immortalis, & in suis actibus libera.
7. Ad admittendum sit Fatum.
8. An voluntatis libertas, ejusque indifferentia activa, quæ præviam cognitionem supponit, rectæque innititur rationi, destruatur ex ejus tendentia in bonum.
9. An voluntas in usu rectæ rationis ab intellectu dirigatur, & hæc directio tendat in bonum.
10. An voluptas, spes, metus, & utilitas per se movere possint, & allicere voluntatem, etiamsi boni speciem non induant.
11. An admittenda sit necessitas Legis, a Deo provisore mentibus hominum quodammodo impressæ, ut in bonum suos actus dirigant.
12. An assentiendum sit Helvetio, qui naturalis legis vocabulo designat instinctum, quem animalia quælibet a natura acceperunt.
13. An ex lege naturali sequatur Imputabilitas.
14. An leges naturales sint mera consilia.
15. An Deus sit cognitor, & judex servatæ violatæque legis, præmia distribuens, & pœnas.
16. An commoda, & ærumnæ, quæ, Deo sinente, a caussis secundis dependent, præmiorum, pœnarumque loco

stare

ſtare poſſint; an vero neceſſitas alterius vitæ ſit admitenda, attento ſolo naturali lumine.

17. An dari poſſit, & ſubſiſtere Atheorum Reſpublica, in qua nullus inſtare ſupponatur ultor poſt mortem Deus.

18. An lege naturali hominibus quibuſcumque proviſum ſit pro civili etiam illorum confœderatione.

19. An regnandi poteſtatem Principes ex lege naturali derivent, an vero hoc regnandi jure fruantur, propter potentiam, & ſubditi ad obediendum impellantur ab eorum imbecillitate.

20. Quid ſit Jus naturale, & an ſit intrinſece bonum.

21. An Juris naturalis principium in amore Dei, ſui ipſius, & proximi ſit ſtatuendum.

22. An propria conſervatio, ſocialitas, opera tendentia in felicitatem vitæ, & perfectio hominis, aſſumi debeant pro genuino Juris naturalis principio.

23. Quodnam ſit Juris naturalis fundamentum, quinam finis tam primarius quam ſecundarius, & quodnam objectum illius

24. An qui de aſſequenda felicitate deſperat, ad Jus naturale ſervandum teneatur.

25. An internæ hominum actiones liberæ, ad Juris naturæ objectum ſint referendæ.

26. An Jus naturæ ſit æternum, neceſſarium, & univerſale.

27. An obligatio ſit Juris naturalis effectus.

28. An ſpes, & metus recte ſumantur tamquam obligationis cauſſæ, ſeu potius ſint externa pro cuſtodia legis incitamenta

29. An homines teneantur ex vi naturalis legis Deum toto animo, & ſuper omnia diligere, eumque interno externoque cultu venerari.

30. An homines teneantur ad amorem ſuimet ipſius atque ad corporis conſervationem; & an Suicidium ſit licitum.

31. An Proximus ſit diligendus ex legis naturalis præcepto.

32. Quænam ſint officia hominis erga Principem, patriam, ſacrorum miniſtros, familiam, homineſque univerſos.

33. In quonam conſiſtat bonitas, ſive ex oppoſito malitia actionum humanarum.

34. Utrum quilibet actus humanus ſingulariter ſumptus & in individuo, poſſit eſſe indifferens.

35. Utrum affectus animi moralis ſcientiæ legibus ſubjiciantur, & qua methodo temperentur.

36. Utrum in politico ſocietatis regimine vitia neceſſarium locum habere debeant. An-

Annus Quartus.

LOCI THEOLOGICI, ET TRACTATUS DE DEO UNO, ET TRINO.



Uamvis Clementissimi Numinis beneficio, ad naturalem illius cognitionem assequendam homines viribus mentis innixi erigantur, plura tamen supersunt eisdem manifestanda, aut clariori luce illustranda, quæ absque Divina Revelatione occulta prorsus laterent, & quorum ignorantia ab assecutione finis ultimi, videlicet a possessione, & fruitione ipsiusmet Dei, miseram Protoparentum sobolem arceret. *Revelatio* propterea, cujus possibilitatem, & credibilitatem argumenta edocent evidentissima, nedum erit utilis, sed necessaria, eamdemque admittendam esse ostenditur ex duplici Divinitatis charactere, videlicet ex *Miraculis*, & ex *Prophetia*. Neque alibi *Dei Verbum* hominibus revelatum quærendum est, nisi in sacrarum Scripturarum volumine, & in perenni constantique Traditione, cujus fontes ab Ecclesia, Conciliis, Romano Pontifice, & Patribus deducendi sunt, additis ad uberiorem illustrationem Theologorum placitis, Historia, Philosophia, & naturali Ratione. Firmissima hæc sunt Theologiæ fundamenta, quæ *Loci Theologici* vocantur, in quibus sedulo exerceri decet tyrones in divinæ Facultatis mysteriis initiandos.

Primo itaque ostendi opus est, quid sit *Divina Scriptura*, & quibus ex partibus, sive *Libris Canonicis* cum veteris, tum novi Testamenti coalescat. Integritas illius, & veracitas subinde probari debet, contra

tra Deistas, ut præparetur animus ad fidem præstandam *Prophetiis*, quas iniquissimo consilio Spinosa æstrum vocavit fervidæ mentis: Grotius assumi non posse docuit pro demonstratione, sed in confirmationem illius: & Woolstonus allegorias esse commentus est. *Miracula* & ipsa vindicari debent ab ejusdem Spinosæ, aliorumque pravorum hominum sophismatis, ostendendo, non occultis naturæ viribus utriusque Testamenti prodigia, sed Deo naturæ ordinem immutanti in testimonium veritatis, ascribi oportere. Miracula fieri, & futuri temporis fata, quæ caliginosa nocte premuntur, ab improbis etiam manifestari poterunt, sed pro veritate confirmanda; quamobrem miracula Paganorum, & præsertim Apollonii Tyanæi, aperti mendacii arguentur adversus Philostratum, aliosque christiani nominis adversarios. Risum movere, & cordatorum sibilos excitabunt ipsa quoque Paganorum oracula, si quas Vandalius post doctissimum Thomasinium fraudes detexit, expendi velint. A veritate etiam alienas esse ostendetur sententias de Gentium ritibus, quos emendatos a Deo in Legem Mosaicam commigrasse Spencerus affirmat. Cætera, quæ de librorum divinorum antiquitate, divisione, multiplici sensu, versionibus, & vulgatæ editionis, cui robur addidit Tridentinum Concilium, autenticitate, atque etiam de privata interpretandi Scripturas facultate, sublato irreformabili Ecclesiæ judicio, cui Novatores non acquiescunt, investiganda sunt & addiscenda, reperiri poterunt in *Prolegomenis* Montani, & Waltoni, in *Apparatu Biblico* P. Lamy, in *Prolegomenis Biblicis* du Pinii, qui tamen cum Richardo Simonio æquis non semper passibus graditur, in *Præfationibus* Martianæi ad *Sacram Bibliothecam* Hieronymi, in *Apparatu* P. Annati, in *Theologia Revelata* P. Cerbonii, & in aliis plusquam sexcentis, quos numerat P. le Long in sua *Bibliotheca*.

Opti-

Optima e suis fontibus *Traditiones* hauriendi methodus foret, opera Patrum, servata serie sæculorum, evolvere, Acta, & Canones Conciliorum expendere, Ecclesiasticam historiam in Natali Alexandro, Fleury, Cavæo, in Petavii *Rationario*, atque in aliis, de hac sacræ eruditionis parte optime meritis, meditari. Ex hoc tamen immenso veluti oceano, modicus humor juvenibus gustandus proponatur, ut intelligant, quid sit Traditio, qua ratione ab humanis separentur Traditiones Divinæ, & quomodo demonstrari possit easdem custodes fuisse, a mundi exordio ad nostram ætatem, veræ doctrinæ, adversus quam irrito labore præliantur Rivetus, Dallæus, Piceninus, & Barbeyracius. Nat. Alexander Rivetum impugnat, atque Dallæum, Picentinum Card. Gotti, & Barbeyracium iteratis curis Ceillerius.

Ecclesia divinarum Traditionum vindex, Locus est Theologicus novatoribus molestissimus. Ecclesiæ naturam, visibilitatem, & membra juvenes nostri considerent, ut veterum, recentiorumque extra septa Ecclesiæ vagantium mendaciis obsistant. Notas Ecclesiæ dein recenseant, & proprietates, præsertim vero infallibilitatem, & indefectibilitatem. Bellarminus in *Controversiis*, Fratres Wallemburgici, Bossuetus operum Tomo I. Nicolius in *præjudiciis contra Calvinianos*, Liberius a Jesu in suis *Disputationibus*, & Holdenius in *fidei analysi* abunde cuilibet eos consulenti satisfacient.

Conciliorum genuinus character, eorumdemque inerrantia, necessitas, convocatio, præsidentia, & confirmatio, themata erunt breviter attingenda, in quibus egregiam navarunt operam Alexander, Lupus, Cabassutius, Jacobatius, de Marca, & Richerius: quamvis duo postremi cum Lovaniensi Doctore, qui *de Locis Theologicis* meruit, non sine cauta animadversione consuli debeant. Ejusdem Lovaniensis, aliorumque diligentiam commendo, in recensione Generalium Con-

Conciliorum, eorum hiſtoria, præcipuiſque Decretis ad fidei dogmata, & ad Eccleſiæ diſciplinam pertinentibus.

In *Romano Pontifice* potentiorem reſidere principalitatem, cum S. Irenæo teſtantur catholici. Caput ille eſt atque Primas Eccleſiæ, cum per orbem diffuſæ, tum in Generalibus Synodis congregatæ. Primatus enim collatus Apoſtolo Petro in eo reſidet, & extorris foret a fide, quicumque ſublimi huic primæ Sedis dignitati adverſaretur. Ejuſdem ſupremi Hierarchæ infallibilitas gravi defenditur rationum pondere, quod Boſſuetus, du Pinius, aliique Theologi minuere conantur. Hæc eadem ſunt fata Pontificiæ authoritatis ſupra Concilium. Hanc ego controverſiam animo reputans, animadverti, quod ſi Romana Sedes ſuo Præſide non viduetur, & de Petri ſucceſſore non ambigatur, quemadmodum Conſtantienſis Concilii ætate contigiſſe novimus, Concilium ſine Romani Epiſcopi, ſive Legatorum ejus præſidentia, acephalum erit; quamobrem caput & membra ſeorſim videntur conſideranda non eſſe. De *Romano Pontifice*, quæ typis edita leguntur commentaria Cardd. Bellarmini, Urſi, & Gotti, quæque ſcripſerunt Petitdidierus, Serry, Berti, & Zacharia, ut Gerſonis, Richerii, du Pinii, declarationes Cleri Gallicani, & Febronii argumenta refellerent, in domuum noſtrarum bibliothecis non deerunt.

Patrum illuſtriorum doctrina elucet in eccleſiaſticis collectionibus Cavæi, du Pinii, & Oudini. Cum tamen in illis plura improbanda offendantur, poſt Tillemontium ego ipſe *Apparatum* proponam P. Nourry, *Concordantias Patrum* a Mareſchallo collectas, & Annatum in *Apparatu* altero ad Theologiam poſitivam. Quæcumque ſuperſunt de Theologorum placitis, de Hiſtoria prophana ſimul & eccleſiaſtica, de Philoſophia, & de naturali Ratione ſummatim exponenda erunt,

ut parcatur tempori in utilioribus insumendo . Melchior Canus primus omnium de *Locis Theologicis*, nitida usus oratione disseruit . Post illum plurimi Cani exemplum imitati sunt , præsertim hoc quo vivimus sæculo; & ab eisdem Locis in unum coadunatis Theologorum studio , & discussione , ad Dei contemplationem progrediendum est .

Ad illam nostrorum juvenum mens præparari posset brevi & succulenta demonstratione *veritatis Religionis Christianæ* , quæ adversus Atheos , Materialistas , Deistas , Politheistas, Judæos, & Mahumedanos a Grotio , Clarckio , l' Abbadie , Jacquelotio , Paschalio , Lamy , Fenelonio , Gerdilio , aliisque pluribus invicte demonstrata est . Hisce ego Prolegomenis discipulorum, quos in Pisana Academia erudiendos acceperam , animos disposui ad sermonem habendum de Deo , cujus existentia , & attributa jam præostensa, hoc loco supponi poterunt , ut manifesti erroris , & pervicaciæ arguantur Judæi , & illi quos crassæ Alcorani fabulæ dementant . De Judaismo reprobato post adventum Messiæ, triumpharunt Martinus in *Pugione fidei*, Spanhemius , qui caussas explorat incredulitatis Judæorum , & Huetius . Mahumedanis opponuntur Forbesius lib. IV. *Instructionum* , Relandus , & Marraccius . Quod si dogmata , servato argumentorum ordine , a purissimis fidei laticibus haurienda sunt , opportunum erit eisdem præmittere contra Pomponantium in Lateranensi Concilio proscriptum, & Socinianos, fidem , humanamque rationem ad invicem non destrui , sed a fide proponi , quæ supra rationem, aut præter illam revelantur a Deo.

Accedens itaque ad ipsum supremum Numen, nomina quibus exprimitur apud Hebræos , Græcos, Latinos , primo loco poterit investigare , sicuti Limborchium apud Remonstrantes , Tournely , & P. Berti apud Catholicos fecisse, notum est . Incommunicabile no-

nomen *Jehovah* criticorum ingenia torquet, præſertim poſt Harduini ſingularem in illo, ſicuti & in aliis pluribus ſententiam. Divinationis loco proponerem, utrum ex nomine, quod reverentia ducti, & non exemplo Aegyptiorum, uti Clericus comminiſcitur, Hebræi pronunciare non audebant, nedum Ens intelligatur ſibi ipſi ſufficiens, & a ſemetipſo ſubſiſtens, ſed etiam qui ſemel pollicita ſervat, & implet. Promiſſiones revera factæ veteribus Patriarchis tunc implebantur, quando Moſes hebraicam gentem ex Aegypto in terræ Chanaan poſſeſſionem deducturus erat; atque ita Dei in promiſſis ſervandis fidelitas manifeſtabatur, & ab eadem fidelitate nomen, antiquioribus Patribus non indicatum deſumebat.

Abſoluta nominum recenſione, *Dei Exiſtentia* oſtendenda eſt argumentis, quæ alibi diſcuſſa fuerunt. Exiſtentiæ Divinæ copulari debet *Eſſentia*, quam in *Independentia*, ſive in *Aſeitate* concordi fœdere Theologi omnes inveniunt. Alia etiam *Attributa*, & *Perfectiones* neceſſario conveniunt Deo. Quomodo, quave ratione Perfectiones in Divina contineantur Eſſentia quærendum erit, & poſtea inveſtigandum, quæ diſtinctio non realis, ob quam Gilbertus Epiſcopus, & Joachim Abbas damnantur, ſed reali minor ſegreget Attributa Dei ab ejuſdem Eſſentia, atque inter ſe.

Attributa eadem bifariam ſeparari poterunt. Alia enim Deo conveniunt in ratione Entis, & alia in ratione Entis vivi, & operantis in ſe, & in creaturis. A priori parte hujuſce diſtributionis, quæ parum diſtat ab illa, quam proponunt Theologi, nobis exhibetur 1. Dei *Unitas* contra vetuſtiſſimum Dualiſmi delirium reſtauratum a Manichæis, & contra falſorum Deorum myriades. 2. *Simplicitas* contra Antropomorphitas, & Audianos, quorum ſeriem a Petavio auctam fuiſſe dubitatur. 3. *Infinitas* in eſſentia, & in perfectionibus, quas

Scholastici in suas classes distribuunt. 4. *Immensitas* de qua Vossius in origine idolatriæ, & Huetius in quæstionibus Alnetanis singularia quædam scrutantur. 5. *Immutabilitas*, etiam in Decretis, quod Sociniani cum Worstio inficiantur. 6. *Aeternitas*, quam egregie definivit Boethius. 7 *Invisibilitas* respectu habito nedum ad corporeum oculi organum, sed etiam ad intellectualem mentis facultatem, nisi coadjuvetur a Deo. 8. *Incomprehensibilitas*, quam de medio auferre conati sunt Anomæi, qui Dei, sicuti hominum intimam cognitionem se habere gloriabantur.

In eodem supremo Numine, si vivum & operans consideretur, primo loco *Vitam* ego ipse aliquando proposui, ut illustrentur innumeri Scripturarum textus, in quibus Deus vivens repræsentatur. Nomine Vitæ intelligitur actus simplicissimus, & efficacia interna immanens, & perpetua, qua Deus in se, sive ad intra operatur, & extra se operatur, & ad operandum promovet, & pro libito promovere potest creaturas. 2. *Visio Dei* activa, quæ perfectissima est suimet ipsius comprehensio; & passiva, quæ Deum constituit obiectum visionis Angelorum, atque Beatorum. Utrique tamen indigent lumine gloriæ, ut fruantur Dei visione, quam differri ad Judicii diem Heterodoxi affirmant, non tamen Joannes XXII. definivit. 3. *Justitia*. 4. *Misericordia*. 5. *Omnipotentia* 6. *Providentia*. 7. *Libertas*: & hæc attributa sunt humanæ rationi non impervia, quæ validioribus momentis ptoponuntur a Fide. Tria quæ supersunt attributa, videlicet. 8. *Scientia* Dei 9. *Voluntas* illius. 10. *Prædestinatio*, & *Reprobatio* accuratum examen efflagitant. In illorum discussione scinduntur Theologi, & acerrime pro sua quique sententia præliantur. Noverint nostrorum juvenum præceptores in Deo duplicem scientiam *simplicis intelligentiæ*, & *visionis* esse admittendam, repudiata penitus,

pro

pro ſtatu præſertim naturæ lapſæ *Scientia Media*, cum in eodem ſtatu, Decretum gratiæ efficacis & prædeterminantis, ante prævisionem meritorum ſtatui oporteat. Deus enim, affirmante Auguſtino, voluit prius experiri quid poſſet liberum arbitrium hominis; poſtquam autem prævidit luctuoſam generis humani ruinam, clementiæ ſuæ beneficium appoſuit in Redemptionis decreto; & quamvis pro hominibus quibuſcumque Redemptio fuerit prædefinita, ad oſtendendas tamen divitias Miſericordiæ, quibuſdam ante prævifa eorum merita, decernere voluit gratiam efficacem, perſeverantiam, & gloriam. Gratia hæc efficax, ex qua ſequitur opus bonum, quod libere fit, juſte negatur aliis, quibus diverſam largitur gratiam, cui homines culpabiliter reſiſtunt, & ex qua bonum opus non ſequitur. *Prædeſtinatio* qua illi eximuntur a perditionis maſſa, gratuita penitus erit; *Reprobatio* autem, qua urgente, damnantur iſti, poſt peccatum ſaltem originale prævifum decernitur. Geographorum more brevibus lineis immenſa veluti ſpatia metitus ſum, ut qui graviſſimam hanc controverſiam tractandam aſſumpſerint, ambigere nequeant, quæ tutior ſemita eiſdem calcanda offeratur.

De *Eſſentia*, & *Exiſtentia* Dei ſermonem habent Theologi fere omnes, quibus conſociandi ſunt Chriſtianæ Religionis aſſertores. Attributorum Dei diſtinctionem enucleant, poſt S. Bernardum, Scholaſtici. Me plurimum debere fateor in hoc argumento, & in generali Dei Attributorum notitia, laboribus Eſtii, Petavii, Thomaſini, Herminieri, Contenſonii, & Berti. *Simplicitatem* Dei illuſtrant S. Epiphanus *contra Audæanos*, Cotelerius in *notis* ad S. Clementis epiſtolas, Pamelius in *Paradoxis Tertulliani*, & Huetius in *Origenianis*. *Infinitatem*, atque *Immenſitatem* Dei in clariorem diem protulerunt controverſiæ, quæ Arnaldum inter & Mallebranchium Pariſiis excitatæ ſunt. Pro *Immuta-*

Immutabilitate, atque *Æternitate* legi poterunt Socinianorum oppugnatores, præſertim Mareſius. Quæ pertinent ad *Inviſibilitatem*, *Incomprehenſibilitatem*, & *Viſionem* Dei, diſcuſſa invenientur a Garnerio in *Theodoritum*, ab Allatio *contra Hottingerum*, & in altero opere *de Conſenſu*, in quo Palamitarum ſomnia diſpellit, & explicat quomodo dicatur *Deus habitare lucem inacceſſibilem*. De *Vita* Dei erudite loquuntur Bibliorum interpretes, etiam illi, quibus Criticorum Sacrorum nomen conceſſum eſt. *Iuſtitia*, *Miſericordia*, *Providentia*, & *Omnipotentia*, veterum quoque Poetarum carminibus commendatæ, eos habent vindices, quos de Religionis veritate diſceptantes audivimus. *Scientia*, quaeque poſt eam expendentur Attributa Dei, ut firmius animo adhæreant, opportuna erit lectio S. Auguſtini in libris *de prædeſtinatione SS.* & *de dono perſeverantiæ*. Dimicant pro Scientia Media Lud. Molina in *Concordia*, P. Daniel ſuis in *Epiſtolis*, & Lud. Blancius in *Theſibus Sedonenſibus*, ſed adverſus illam inſurgunt Hyac. Serry in *Schola Thomiſtica vindicata*, Nat. Alexander in *Diſſert. V.* Sæc., ſuis in *Epiſtolis* Graveſonius, & pleniſſime P. Berti. De *Hæreſi* tandem *Prædeſtinatiana*, cujus hiſtoriam ſcripſit Sirmundus, præteriri non debent Nat. Alexander loco laudato, Calmetus in *Diſſertatione* de hac hæreſi, Thomaſinius *Diſſert.* XIII. in Concilia, & cum aliis pluribus P. Berti.

Ineffabili *Trinitatis* Myſterio poſtremi labores hujus anni conſecrandi ſunt; neque ab illis, recedendum ex eo quod SS. Athanaſius, Ambroſius, aliique dehortantur homines ab ejuſdem arcani ſcrutatione; procacia enim a PP. coercentur ingenia, non jubentur deſpondere animos noſtri juvenes, qui pro humanæ mentis imbecillitate ſublime Triadis Auguſtæ ſolium contemplari deſiderant. Hæc autem mihi facilior methodus

dus visa est, ut prius exponantur *vocabula*, quorum in hoc argumento frequens usus apud Theologos, deinde recenseantur *hæretici* impiique homines Trinitatis oppugnatores, ac postea ostendatur illam *recto rationis lumini non adversari*. Quamvis autem argumentis ex fonte naturalis intelligentiæ petitis non opponatur, adhuc tamen Trinitatis arcanum illustratione indiget, ac lumine fidei. Ostendendum propterea erit, ante adventum Christi Domini, qui Trinitatem perspicuam reddidit Ecclesiae suæ, in illius notitiam *Gentiles* non descendisse. Sermo post hæc instaturandus erit de *Judæis*, qui Fidei depositum custodiebant, priusquam Verbum assumpta carne illucesceret orbi. Hisce præcognitis, demonstranda erit *veritas Trinitatis*, sive existentia trium Divinarum Personarum in unius ejusdemque naturæ unitate, & consubstantialitate. Ita planior sternetur semita doctrinis theologicis *Processionum*, & *Relationum*, quæ fundamenta veluti sunt hujus Mysterii. Eisdem expensis, *Divinas Personas* in communi acceptas contemplari opus est, earumque subsistentiam, existentiam, & proprietates absolutas atque relativas. Tandem differendum de illis remanet, quæ unamquamque *Personam* seorsim assumptam respiciunt, ut de singulis ad Augustissimam Trinitatem pertinentibus, conveniens notitia obtineatur.

Nomina, quæ ad Trinitatis Mysterium referri debent colligit, & diligenter explanat l' Herminier in exordio *Tractatus de SS. Trinitate*. Veterum sæculorum adversarii expenduntur a P. Travasa, qui tamen nimius est in libris quos scripsit *de priorum sæculorum hæreticis*. Plura etiam inveniri poterunt in Tillemontii *Memoriis*, & in Cavaei, atque du Pinii *Bibliothecis*. Veterum simul, recentiorumque nomina, & fraudes manifestantur a PP. Pinchinatio, & Sianda in *Hæreseon Lexicis*, a Scriptore Gallico *Historiæ Soci-*

nia-

nianorum, & a Georgio Bullo in *Defensione Fidei Nicænæ*. Recensentur etiam, & accuratissime refutantur, post Petavium a P. Berti *Theolog. Disciplinarum* libro VII. atque in tres classes breviter & perspicue distribuuntur a P. Bossio Tomo II. *Instit. Theologicarum*. In prima classe ab eo collocantur Sabelliani, Ariani, & Macedoniani; in secunda Tritheitæ, quorum Parens fuisse creditur sexto sæculo Joannes Philoponus, cujus pressit vestigia sæculo duodecimo Abbas Joachim; in tertia Sociniani, quorum errores pestilentissimi quibusdam in Europæ Provinciis adhuc serpunt. Socinianis addendum censeo cum Valentino Gentili Michaelem Servetum Genevæ combustum, instigante Calvino, & si non omnes, plures saltem ex Remonstrantibus in Hollandia, unde evenit, ut Grotii fides Gomaristis, aliisque suspecta fuerit.

Quod Trinitatis Mysterium *recto rationis lumini non opponatur*, certatim probant Theologi cum Angelico, Estio, Petavio, Billuartio, & Contensonio, qui cæteris diligentior in hoc capite mihi visus est. Contensonio, aliisque præcesserat S. Augustinus miro quo pollebat mentis acumine, rationes, congruentias, & exempla suppeditans, quibus acquiescendum est. Opportuna æstimari etiam poterit *Trinitas logicis argumentis propugnata*. in quo tamen opusculo, dum Leibnitius brevis esse laborat, legentibus obscurus apparet. Trinitatis manifestationem *Gentilibus* factam tuentur post Abailardum, Mamertum, & Lullum, Steuchus in Libro I. *perennis Philosophiæ*, Card. de Aguirre Tomo II. *Menologii*, & in *Alnetanis Quæstionibus* Huetius, qui Platonicos arcanum vidisse opinatur per nubila, & caliginem. Platonicis patrocinatur iniquissimo animo Clericus, Trinitatem Christianorum confundens cum Trinitate Demiurgica Platonis. Adversus Clericum eximia cum voluptate legi *Præfationem* Maurinorum

ad

ad Opera S. Justini; nam ex temporum computatione, ibidem apparet putidum Clerici mendacium. Communis inter Catholicos sententia docet Paganis Trinitatem non innotuisse, & verborum similitudinem ex eo oriri, quod a Platone expilata fuerint Judæorum scrinia, sicuti arbitratur Lamius, apud quem libro III. *de Trinitate* invenientur testimonia Patrum, quibus placuit hoc ipsum opinari. *Oracula Sybillarum* Paganorum caussam meliorem non reddunt, quamvis cum Nat. Alexandro pro eorum authenticitate foret decertandum.

Judæorum Patriarchis, Prophetis, aliisque sanctitate conspicuis viris, Trinitatem innotuisse, explorata mihi res est, ex Christi Domini verbis deducta; non tamen Judaicæ plebi, in qua sola requirebatur fides in Messiam, de cujus divinitate a sacris voluminibus erudiri poterat. De Philone Judæo, cujus verba ad examen revocat Clerius in *Arte Critica*, hoc judicium ferendum censerem: consociare eum voluisse infaustis avibus Scripturarum doctrinas, cum fallaci Platonis philosophia, quam Judæi Hellenistæ Alexandriæ excolebant, sine ulla tamen veræ Trinitatis notitia.

Ostendenda deinde erit *Trinitatis existentia*; atque inter testimonia ex novo Fœdere desumpta, satis celebre apud Criticos redditur illud Joannis Epist. 1. cap. 5., *Tres sunt qui testimonium* &c. Pro supposititio esse habendum, post primas editiones Erasmi, cum Socinianis arbitratur Rich. Simonius, qui sibi ipsi plaudit, quotiescumque labem minimam proferre possit, ad Sacri textus integritatem turbandam. Præter Tournely, l' Herminier, Berti, aliosque Theologos, hunc nodum solvunt Calmet in *Dissertat.* ad eumdem textum, Graveson *de Sacra Scriptura* Part. 3. & inter novatores Coccejus. Traditio Ecclesiæ a quibuscumque proponitur post Petavium, in Græcis etiam PP. versatissimum.

mum. Theologis addantur *defensio Fidei Nicænæ* Georgii Bulli, qui palmam reliquis præripere conatus est, observationes Nic. Nourry, a cujus *Apparatu* me plura didicisse libens fateor, Bossueti in Jurieu *Animadversiones*, Abb. Faiditii *systema de Trinitate*, & limatissimum Mon. Maurini Opus: *divinitas D. N. J. C.* Peculiarem in traditione sedem exposcit Nicænum Concilium, & vocabulum Ὁμοούσιον quod assumi debet tamquam veræ doctrinæ tessera, quam Arianorum astus eludere nequiverunt. Traditio eadem ut inconcussa permaneat, adversariorum calumniæ propulsandæ sunt. Theologos inter, opus hoc exequuntur Tournely, & P. Berti; de PP. vero Antenicænis, quos Platonismi insimulatos novimus, optime meruit P. Baltus, qui eorumdem *Apologiam*, a viris doctis in pretio habitam, adornavit.

De *Processione Spiritus Sancti* sermonem habent, præter memoratos Scriptores, Allatius in *Græcia Orthodoxa*, nec non in *vindiciis Synodi Ephesinæ*, & P. le Quien *Dissert.* I. in Damascenum. Quod Latini immerito redarguantur, tanquam Symboli corruptores pro additione particulæ *Filioque*, ostendunt idem Allatius *contra Creigthonem*, & Mabillonius *Sæculo secundo Benedictino*. De Liberio quem Valesius, & Pagius post Blondellum, Nicænæ Synodi desertorem vocant: de Osio qui ab Ariana impietate resipuit: de origine Hymni *Te Deum*: de turbis tandem excitatis a Monachis Scythiæ, atque de *Symboli Athanasiani* Scriptore, verba fecerunt Nat. Alexander, du Pinius, Card. Norisius, aliique. *Processiones*, & *Relationes* explicat accuratissime noster Lodigerius; & pro aliis locutionibus legi poterunt Canones, quibus P. Berti claudit librum IX. suarum *Disciplinarum*.

An-

Annus Quintus.

TRACTATUS DE INCARNATIONE, Gratia, Mysteriis, Annis, & Cultu Christi Domini, & Sanctorum.

MYsterium Incarnationis magnum pietatis Sacramentum dicitur ab Apostolo, quia singulare opus complectitur Divinæ Clementiæ, & humanæ reparationis œconomiam. Sublime hoc & utilissimum argumentum, ita a me distributum fuit in suas partes. Primo nomina diligenter collegi, quibus in Sacris Literis, & in Ecclesiæ utriusque Patrum operibus exprimitur Incarnatio, cujus naturam breviter exposui, una cum male feriatorum hominum erroribus. II. Incarnationis possibilitatem, & cognoscibilitatem manifestandas assumpsi. III. Mysterii ejusdem convenientia, & necessitas ostensa fuit. IV. Existentia Incarnationis Verbi, quod est dogma principale, & præcipuum, demonstrata est. V. De Incarnationis essentia differere placuit; VI. De veritate, & integritate naturæ humanæ assumptæ a Verbo; VII. De Persona Divina assumente humanam naturam; VIII. De Unione hypostatica, & de Idiomatum communicatione; IX. De motivo Incarnationis; X. De Incarnationis termino, qui est Christus Dominus.

Hanc methodum imitari cupientibus, e vestigio se offerent nomina Scripturarum, & Patrum, qui diversis vocabulis Incarnationis beneficium designant. Eorumdem nominum illustrationem utilissimam censeo,

ut evitetur periculum in Hæreticorum laqueos offendendi; & exemplo esse poterit vocabulum Oeconomiæ, sive dispensationis, quo abutebantur Apollinaristæ, pro phantastica, & umbratili Incarnatione. Ad hanc referuntur & alia nomina, quæ sunt Natura, Hypostasis, Suppositum, & Subsistentia, quæ invenientur in Actis Conciliorum Ephesini, Chalcedonensis, & Nicæni II., & ex quorum expositione deducitur, quod Christus Dominus appellari possit Θεανδρ Deus homo, & hebraice Emmanuel, sive Persona humano-divina. Nonnulli ex hæreticis oppugnatunt Christi divinitatem; humanitatem alii; cæteri utriusque Naturæ vinculum, & unionem. In hæc tria capita distribui commode poterunt impia dogmata, quæ Incarnationis mysterium commaculant. Nestorius, atque Euthyches in tertio collocandi sunt; cum ille sublata physica unione, duas in Christo Personas agnoverit; iste Naturam a Persona non segregans, unicam Naturam admiserit, etiam post assumptam humanitatem a Verbo.

Possibilitas Incarnationis deducitur ex non repugnantia hypostaticæ unionis: cognoscibilitas ex revelatione: convenientia ex bono multiplici, quod ex Incarnatione resultat: necessitas vero ex condigna satisfactione debita divinæ Justitiæ ad humani generis reparationem. Dogma tamen præcipuum, in quod tractatus hujus theologici partes tendunt est Existentia Incarnationis, quam Judæi scandalo esse, & a Gentibus pro stultitia haberi affirmat Apostolus. Adversus Judæos duo demonstranda esse videntur. Primum est, inani spe illos deceptos errare, dum Messiam præstolantur, characteribus temporalis regni in Palestina instaurandi insignem; alterum est, Messiam jam advenisse. Antiqui fœderis oracula accuratissime expendantur & illa præsertim Jacobi, & Danielis. Si a primo vaticinio adventus Messiæ ad ea tempora revocetur, in

qui-

quibus imperium a tribu Juda ad alienigenas translatum fuit, nemo ignorat, id contigisse sub Herode Ascalonita, sive Idumæo, cujus regni anno 35. orbi universo Salvator illuxit; & quamvis pro Judæo Herodes assumeretur cum Scaligero, Casaubono, & aliis quibus non assentior, adhuc tamen perspicuum est judaicæ gentis imperium a Pompejo imminutum, sensim desiisse, ad extremam usque Urbis, Templique vastationem, & excidium. Excidium hoc prænunciavit Daniel, cujus majores hebdomadæ, quæ criticorum ingenia exercent, initium habent a Decreto Artaxersis Longimani, ab anno scilicet septimo, sive ut aliis placet vigesimo ipsius regni. Quæcumque chronotaxis sumatur, plane desipit, qui dubitat jam non advenisse Messiam, ab Aggæo etiam, & a Malachia promissum. Hunc Messiam Jesum Christum Nazarenum fuisse, invictis demonstrabitur argumentis, quibus non sola missio, sed etiam divinitas in tuto ponitur contra eosdem Judæos. Apud illos floruit Josephus, qui præclarissimum de Christo Jesu testimonium reddidit, ab Osiandri, Fabri, du Pinii, aliorumque censuris purgandum. Hisce doctrinis, & aliæ addantur adversus Ethnicos, Hæreticos, & Mahumedanos, ex quorum Alcorano novum documentum eruitur ab Incarnationis assertoribus non omittendum.

Ad efformationem deinde corporis Christi in Beatissimæ Virginis utero progrediendum; & pro caussa efficiente principali unionis hypostaticæ Augusta Trinitas designanda est, quia virtus agendi ad extra Omnipotentiæ divinæ tribuitur. Caussa vero formalis perficiens humanam naturam fuit Verbum, quod immediate assumpsit verum, integrumque corpus humanum terrestre, & passibile, veramque animam rationalem proprio intellectu, propriaque præditam voluntate, in quo dogmate falluntur Monothelitæ. Unio autem cum na-

natura humana, facta est ratione solius Personalitatis Verbi, non ratione divinæ Naturæ, sive facta est sub ratione relativa & propria, non sub ratione absoluta, aliisque divinis Personis communi; ex quo sequitur subsistentiam Verbi, ejusdemque Perfectiones relativas, quarum capax est natura assumpta, immediate, physice, & formaliter illi communicari: divinam vero Naturam, absolutasque Perfectiones ejusdem, communicari mediate & moraliter.

Cum tamen Nestorius, atque Euthyches hæresim suam fallaci verborum involucro tegerent: cum S. Cyrillus impotentis odii in Nestorium, animique ad excitanda dissidia proni reus, a Maturino la Croze, & ab aliis accusetur: cumque Socrates de una vocula Deiparæ, tanto impetu disceptatum fuisse doleat, plane necessarium erit evidenter ostendere, unionem Verbi cum humana natura fuisse veram, realem, & physicam, non moralem, sive assistentiæ, & affectionis, uti Nestorius arbitrabatur, ut clanculum Incarnationis finem, & effectus everteret. Hæc eadem unio, a qua modales Scholasticorum entitates sunt excludendæ, est omnium maxima etiam in ratione doni, est perpetua, & nullam naturæ duplicis confusionem, aut permixtionem generat, in quo Euthyches turpiter lapsus est. Ex eadem vero unione sequitur communicatio idiomatum, sive utriusque naturæ attributorum, earumque proprietatum, quæ prædicantur de Persona, sive de supposito Christi Domini. Hæc communicatio in concreto admitti debet contra Nestorium, qui Deum natum, passum, mortuum, & Mariam Θεοτόκον vocari posse negabat, non in abstracto, sicuti Lutheranis, & Ubiquitis visum aliquando est. Motivum denique Incarnationis, desumi non debet ab hominibus, sed a sola clementia, & benignitate Dei, qui ut divinæ justitiæ fieret satis, humanumque genus mundaretur

tur a culpa, Decretum edidit Incarnationis, cujus Terminus est Christus Dominus. De eodem differetur postquam actum fuerit de Gratia, quae primum est & nobilissimum beneficium collatum hominibus virtute ac merito Incarnationis.

Divini Verbi Incarnationem theologicis curis, illustrandam acceperunt Dogmatici, & Scholastici fere omnes post SS. Patres. Priusquam huic sublimi argumento manum admoveant, diligenti lectione Juvenum nostrorum Magistri percurrant duas S. Athanasii *epistolas ad Epictetum*, & *ad Adelphium*, totidemque *ad Cledonium* S. Gregorii Nazianzeni, cum sermone ejusdem Doctoris 46.; Cassiani VII. de *Incarnatione* libros; *Opera* S. Cyrilli Alexandrini, & Theodoriti, cum *Actis Conciliorum Ephesini*, & *Chalcedonensis*. Quamvis autem apud theologos passim occurrant, quae de *Incarnationis* mysterio tractanda erunt, nihilominus post Petavium consulendos proponerem l'Herminier, Tournely, & Boucat in suis de Incarnatione Tractatibus, Berti libris 25. & 26. *Theolog. Disciplin.*, Serry in *Exercitationibus de Christo, & ejus Virgine Matre*, & Graveson *de Mysteriis*, & *annis Christi*. In utroque postremo scriptore, multa invenientur erudite, & solide scripta contra *Judaeos*, Nestorianos, Eutychianos, & Socinianos, pro astruenda veritate Incarnationis, praecipuisque, Christi Domini Servatoris dotibus, & praerogativis. Testimonium quod Fl. Josephus reddidit de *Jesu Christo*, pro genuino defenditur a Vossio, Usserio, Huetio, & Daubuzio in erudito opere quod scripsit de hoc argumento, ad cujus illustrationem accessit etiam in sua Josephi editione Havercampius. Apotheosis, de qua Tiberius Caesar retulisse dicitur ad Senatum, una cum Actis Pilati, aliisque exoticis monumentis, jure defenditur a Petavio, a Pearsonio in *Apostolorum Acta*, a Serry, & ab aliis contra Fabricium, Clericum, & Basnagium, quos

non

non puduit testimonia Justini, Tertulliani, Luciani martyris, & Eusebii, artisque criticæ canones parvi pendere, & hisce spoliis Christi triumphum exuere. Si vero contra errores Monothelitarum, pro duplici voluntate, duplicique Christi operatione, præliari placeat, Acta Concilii Romani, & SS. Leontii, & Maximi Opera, cum Historia Monothelitica Dezallierii, & plurium recentiorum scriptis conferri poterunt, simulque dirimi celebris controversia de Honorio, cujus memoriam, non hæreseos, sed inconsultæ dissimulationis nota inurendam esse affirmant de Marca, Nat. Alexander, Garnerius, & Lupus.

Ab Incarnatione progredi opus est ad *Gratiam*. ad singulare videlicet divinæ clementiæ donum prædefinitum in ipso Incarnationis Decreto, ut superius ostensum est. Præmitti poterunt nomina, definitiones, & divisiones Gratiæ. 2. numerabuntur veteres divinæ Gratiæ adversarii; & 3. recentiores. 4. de Bajanismo; & 5. de Jansenismo sermo habeatur. 6. proponatur Gratia ante statum naturæ lapsæ, & reparatæ per Christum; 7. Gratia habitualis in statu naturæ lapsæ; & 8. Gratia actualis. 9. necessitas Gratiæ expendatur pro eliciendis bonis operibus, malisque vitandis 10. ad examen revocetur Fides in ordine ad Gratiam 11. de perseverantia, & de amissione, & gradibus Gratiæ tractandum erit; 12. de Gratia efficaci; 13. de sufficienti; & ultimo de effectibus Gratiæ sermo instaurabitur.

Primo itaque *nomen*, *divisio*, ac *definitio* multiplicis Gratiæ, studium est nemini ignotum, qui prima Christianæ Legis rudimenta didicerit. *Veteres* ante Pelagium *Gratiæ adversarii* dicuntur Origenes, Theodorus Mopsvestenus, atque Rufinus, quibus addi poterunt Africani Episcopi, qui in epistolis ad Zozimum datis Pelagianismum olent. De *Pelagio* quærenda

da sint, patria, vitæ institutum, socii, & discipuli famosiores, atque etiam tempora, quibus hæresim suam disseminare cœpit, quibusve palinodiam cecinit, aut potius prava dogmata imminuit. *Semipelagianorum* error exponi etiam debet, simulque expendi, utrum Cassianus, Faustus Rhegiensis, Vincentius Lirinensis, Hilarius Arelatensis, Gennadius, & S. Io. Chrysostomus, quorum nomen apud nonnullos hac infamia laborat, ab eadem purgandi sint. Tandem de *Prædestinatianis* alibi in scenam deductis, brevissime quaeri poterit, an illorum haeresis Monasterium Adrumetinum infecerit, & an Gothescalcus Sæculo IX. eam propugnaverit.

Observandum deinde erit, quid Lutherus, atque Calvinus docuerint de *Gratia*: quæ controversiæ excitatæ sint ab utriusque hæresiarchæ discipulis in Hollandia: & cuinam sententiæ nostra hac ætate adhæreant. Peculiarem animadversionem merentur Bajus, & Jansenius. *Illius* circa Gratiam, Liberumque arbitrium errores, jure optimo a Romana Sede proscripti fuerunt. *Jansenii* quinque *Propositiones* expendantur, & refutentur, ut appareat S. Augustini mentem ab illis fuisse alienissimam, & a summis Pontificibus debuisse proscribi, sicuti & ab Ecclesia Gallicana reprobari, una cum doctrina Quesnellii, quam Clemens XI. justa censura damnavit in Bulla *Unigenitus*.

Hisce præcognitis, *Gratiam* expendi opus est ante statum naturæ lapsæ, reparatæ per Christum, propositis *quinque statibus* naturæ humanæ, atque eos inter statu innocentiæ, in quo primi Parentes, utrum originalem justitiam & sanctificantem gratiam acceperint, quærunt Theologi. Investiganda etiam erit Gratia, qua primi homines indiguissent ad perseverandum in bono, & possibilitas status naturæ puræ, quæ sapientum ingenia vexat. Accedendum postea erit ad

Gratiam habitualem naturæ reparatæ ita proficuam, ut nullum donum ea utilius atque sublimius impetrari possit a Deo. Sincerum characterem illius, deduci opus est ex Divinis literis, & præsertim ex Epistola Pauli *ad Romanos*. Eam esse quidpiam animæ permanenter inhærens fides ipsa testatur ex plurimorum sententia; sed Tridentinum Concilium consulto abstinuit a vocibus entitatis, qualitatis, & habitus. Quod si a Concilio erudimur *charitatem Dei* diffundi, & inhærere cordibus eorum, qui justificantur, *Gratiam* a *charitate* distinguendam non esse arbitrarer. Qua vero ratione a *sanctificante Gratia* homines formaliter justificentur, quid sint & quotuplicis generis *virtutes infusæ*, & an per modum habitus infundantur cum Gratia, apud theologos inquiretur. Revera in eodem Tridentino Concilio *theologicarum virtutum* infusio statuitur, & de aliis quæ *morales* vocantur, eadem sententia a Romano Catechismo proponitur. Hoc ipsum affirmandum censeo de *donis Spiritus Sancti*, quia si per illa disponitur justus ad abundantiores Spiritus Sancti motiones, privandus non erit hujusmodi beneficiis, postquam insitus Christo capiti, vivit spiritu illius, & acquisita adoptione Dei, ad Gratiæ consummationem in æterna patria obtinendam disponitur. De *Gratia actuali*, cujus ab habituali discrimen divinorum sermonum expositores assignant, duo peculiari studio quærenda sunt, nempe, utrum sine gratia valeat homo præparare seipsum ad gratiam, & quæ nam dispositiones præmittendæ sint justificationi parvulorum, & adultorum.

Necessitas Gratiæ, quæ manifestatur in prima hominis conversione ad Deum, ampliatur etiam ad quodcumque opus bonum morale, ad dilectionem Dei, ad implenda Legis præcepta, ad tentationes repellendas, & ad lethalia, aliaqua minora peccata vitanda. In

con-

controverſiis hujuſmodi caute evitentur doctrinæ Pelagianiſmo affines, & pro certo habeatur adverſus Semipelagianos, a Deo eſſe etiam *initia fidei*; & quamvis ſine fide bonum morale fieri non poſſit, ex hoc tamen non ſequitur *omnia infidelium opera* peccatum eſſe. *Perſeverantia* in bono, Gratiæ beneficium eſt, non tamen inamiſſibile, cum poſſint homines amittere *Gratiam*, quæ ſuos habet *gradus*, quibus meritum, & gloria commenſurantur.

Gratia *Efficax* peculiare examen efflagitat; quamobrem, poſtquam oſtenſum fuerit admittendam eſſe gratiam *per ſe*, *ex ſe*, & *ab intrinſeco* efficacem, eligenda erit ſententia, eas inter quæ, circumferuntur. Ego quidem arbitror efficaciam Gratiæ repetendam non eſſe a *conſenſu* Molinæ, non a *congruitate* circumſtantiarum Suareſii, non a *præmotione phyſica* Thomiſtarum, ſed a *delectatione* ſimpliciter victrici, a qua libertas non læditur. Hæc victrix delectatio, ſegreganda eſt a delectatione victrici *relative ſuperiori*, quam Janſeniſtæ amplectuntur, cum evidenti humanæ libertatis ruina. Gratia *Sufficiens* admitti debet, contra Janſenium ſcribentem, interiori gratiæ nunquam reſiſti. De hac *ſufficienti* Gratia inquirendum eſt, utrum detur juſtis, peccatoribus, & infidelibus, utrum juſto Dei judicio aliquando negetur, & utrum reddatur *Efficax*, ſi eam comitentur circumſtantiæ congruæ, quod noſtro adverſatur ſyſtemati.

S. Auguſtinus divinæ Gratiæ aſſertor, & vindex, ſublime hoc argumentum luculenter proſequitur in libris *de Gratia Chriſti*, de *correptione*, & *Gratia*, de *dono perſeverantiæ*, de *prædeſtinatione SS.*, & *contra Julianeum* Pelagianum. *Collationes* quoque Caſſiani, cum S. Proſperi *adverſus Caſſianum* laboribus conſulantur. Quod Origenes ova poſuerit, quæ a Palagio fuerunt excluſa, docet S. Hieronymus in epiſtola ad

Ctesiphontem; & ex Mario Mercatore discimus, Theodorum Mopsvestenum suum ab Origene venenum hausisse. Cæterum Vossius, atque Norisius Pelagianæ historiæ scriptores plura dogmatica tractant. Ex Thomistis Silvium, & Gonetum propono, cum Contensonio; ex discipulis S. Augustini Belellum in duplici opere, in quo mentem S. Doctoris scrutatur ante, & post peccatum primi parentis, & Berti suis in *Theol. Discipl.* cum recentioribus fere omnibus Sorbonicæ Scholæ magistris; ex Soc. Jesu Suaresium, & Vasquesium, atque ad eorum opiniones proclivem Tournely. Prætereundæ non sunt *Dissert.* Nat. Alexandri ad V. Ecclesiæ sæculum, & *Epistolæ Polemicæ* Gravesonii.

Nihil vero hoc loco opportunius, & tyronum institutioni utilius censeo contemplatione Vitæ *Christi Domini*, qui terminus *Incarnationis*, & *Gratiæ* fons perennis a Theologis nominatur. Primo itaque demonstrari oportet *Mariam*, firmo permanente virginitatis proposito, verum matrimonium contraxisse cum S. Joseph, & ambos fuisse e Tribu *Juda*, atque e familia *David*. Probanda 2. erit miraculosa Christi *Conceptio*, omissis omnibus, quæ in Tractatu de Incarnatione discussa sunt. 3. Christi *Nativitas* exponenda erit, cum loco, tempore, & prodigiis, quæ tunc novimus contigisse. 4. *Circumcisio* etiam Christi infantis, Matrisque *Purificatio*, discuti poterunt. 5. De *Magis* Christi adoratoribus, de *fuga* illius in Aegyptum, & de Betheleemitica puerorum *cæde* verba fient. 6. *Vita* Christi Domini ante baptismum, baptismus, ejusdemque circumstantiæ expendi debent. 7. *Transfiguratio* cum miraculis Christi, & Diaboli tentationibus non prætermittatur. 8. Triumphalis *ingressus*, & ultima *Cæna* Divini Reparatoris cum *Passione*, & *Morte* illius accurate exprimantur. 9. Acerbissimis dolori-

ribus in *corpore*, & in *anima* Chriſtum Dominum cruciatum fuiſſe demonſtrari debet. 10. De Chriſti *Deſcenſu* ad inferos, & de glorioſa *Reſurrectione*, *Aſcenſione*, & *Seſſione* illius ad dexteram Patris, atque de *Miſſione* Divini Spiritus, opus eſt catholicum dogma defendere, & quantum ſat eſt illuſtrare.

Quatuor ego Scriptorum commentarios proponam in multiplici hoc argumento. Primus erit *Vita Jeſu Chriſti*, & *Beatæ Mariæ Virginis* conſcripta a Tillemontio, cum *annotationibus* ejuſdem. Alter erit *Vita* ejuſdem Divini Servatoris, cujus auctor eſt Montacutius, qui tamen plura miſcet, a catholico viro improbanda. Tertius eſt Serry in *Exercitationibus* de Chriſto, ejuſque Virgine Matre. Poſtremus erit Graveſon in *Diſſert.* de *myſteriis*, & *annis* Chriſti. Ab eiſdem recenſentur hæretici, qui ſunt refellendi, & enodantur dubia, quæ vitam, & acta Incarnati Verbi legentibus occurrere poterunt.

Tria ſuperſunt, quæ non ſolum pertinent ad Chriſtum Dominum, ſed quibus etiam clauditur ſublime *Incarnationis* Myſterium. Primum eſt *Scientia*, *Libertas*, & *Sanctitas* Chriſti. *Scientia* infinita, ſicuti Lutheranis viſum eſt, non convenit humanitati aſſumptæ, per ſe, ſed infuſa, acquiſita, & beatifica, quæ conjunctam habet *Viſionem* adeo ſublimem, ut ea perfectior tribui nequeat creaturis. Qua autem ratione *dolores* atque cruciatus ſuperius enunciati cum *viſione* beatifica conjungi potuerint, diligenter & ſolide exponit Graveſon *diſsert.* XX. Humana Chriſti voluntas fuit maxime *libera*, libertate *contradictionis*, non *contrarietatis* ad malum. Impie igitur blaſphemat Calvinus, ſcribens Chriſtum *peccaſſe* mortaliter in ſua paſſione; & a fide etiam inſtruimur, quod voluntas illius Patris imperio morigera ſemper fuit & conformis. Tandem humanitas Chriſti *Sanctitatem* habuit ſuſtan-

tia-

tialem, ex unione hypostatica, & accidentalem sive creatam ex gratia habituali. Secundum, in quo opus est immorari, Christi *merita* respicit, atque *satisfactionem*, cui adversantur iniquissimo animo Sociniani. Merita Christi *infiniti pretii* fuisse quem lateat, cui persuasum sit actionis elicitas a natura humana ex *Personalitate* Verbi suum valorem desumere? Non tantum sibi ipsi propterea meruit Christus Dominus gloriam, & ea quæ ad gloriam illius referuntur, sed etiam pro humano genere universo *plene* & abundantissime satisfecit. Si enim puniri debeat peccatum, & pœnam divinæ justitiæ oporteat commensurari, unius Christi Domini dolores, & mors, compensatio, *satisfactio*, & pretium fuerunt æquivalens, & superabundans pro hominum quorumcumque criminibus. Tertio conveniunt Jesu Christo *tituli* & prærogativæ, a quibus multiplex *dignitas* & *potestas* ejusdem manifestantur. Ille enim est *Filius Dei* naturalis, proprius, & verus, *Mediator* Deum inter & homines, *Sacerdos* & Pontifex novæ Legis, *Rex* demum & *Judex* vivorum simul, & mortuorum. Apud Bellarminum, l' Herminier, Gonet, Contenson, Tournely, Berti, Billuart, aliosque Theologos, tituli & characteres iidem nobilissimi, fusiori oratione expositi invenientur.

Ex eisdem titulis, & multo amplius ex *pretio*, quem pro nostra omnium *Redemptione* effudit, sequitur *Cultus*, & veneratio, qua prosequi opus est eumdem Filium Dei, quem Paulo teste, etiam Angeli adorant, quando a Patre introducitur in orbem terræ. Opportunum propterea erit theologica inquisitione scrutari obsequium debitum *Deo*, quod ex jure naturali jam deduximus, *Christo Domino*, *Angelis*, *Sanctis*, & *Imaginibus*, cum *invocatione*, & *precibus*, quibus auxilium eorumdem imploramus & opem. Neminem porro latet ab *Excellentia*, & dignitate *Objecti* cultum,

tum, quem illi impertimur proficisci; & excellentiam infinitam esse in Deo, cui convenit cultus *Latriæ*, finitam fuisque limitibus clausam in Sanctis, quibus *Duliæ* cultum impendimus, moraliter infinitam in Virgine cujus Divina Maternitas honorem exigit *Hyperduliæ*. Hæc vocabula, & similia, quibus *jure optimo* Ecclesia utitur, illustranda, & enumerandi sunt *Adversarii* antiquæ & recentioris ætatis, qui SS. Angelos, Hominesque divina in cœlis visione fruentes, pro viventibus preces fundere inficiantur. Ostendatur itaque eosdem Cœlicolas, qui in terra militantibus auxilium præstant & patrocinium, rite *invocari*, & cultu religioso *honorari* posse ac debere, absque majoris cultus Deo tribuendi detrimento, & injuria. Recenseri deinde poterunt *Festa* in *Sanctorum* honorem instituta ab Ecclesia, quæ a primis sæculis consuevit eorumdem memoriam venerari, & *Natalitia* celebrare. *Lipsana* etiam, sive Sanctorum *Reliquias* eadem Ecclesia devoto obsequio semper prosequuta est, deducto exemplo ab eodem Numine, prodigia colentibus Reliquias largiente. Hoc ipsum affirmari poterit de *Imaginibus*, quas ab idolis simulacrisque Ethnicorum toto cœlo distare, compertum habemus. Opportunum quoque erit differere de *usu Imaginum* apud Hebræos, & apud vetustiores Christianos, pariterque de Imaginibus *symbolicis* Trinitatis, & Christi Domini. *Canones* Concilii Elibertani, quibus fidunt Heterodoxi, *Statua* quam Paneade Hemorrhoissa mulier erexit, & Scriptoris *Librorum Carolinorum* opinio, criticis observationibus illustrentur; ac tandem de cultu *Deiparæ*, vivificæ *Crucis*, & illius *Imaginum* multiplici doctrina inconcussi dogmatis disceptetur. Plura ad hoc Theologiæ Polemicæ caput pertinentia traduntur in Actis Conciliorum Constantinopolitani, Nicæni II., Parisiensis, & Tridentini, quibus addi poterunt S. Joannes Damascenus,

&

& Theodorus Studita, qui data opera de hoc argumento scripserunt. Plura etiam collegit Mabillonius *de cultu Sanctorum ignotorum*, & periculosæ novitatis amans Launojus *de separandis fictis Reliquiis*. Tandem hæc omnia solide discussa invenientur a nostro Capitonio, post quem Bellarminus, Sanderus, Gretserus, & Vaverda eamdem provinciam regendam acceperunt, cum aliis Controversistis, quos inter eminet Trombellius in suis decem *de Cultu Sanctorum* Dissertationibus.

Annus Sextus.

DE ANGELIS, PRIMO HOMINE, Novissimis, Purgatorio, & Suffragiis.



Eum caussam esse universorum, non sola naturalis ratio suadet, sed Fides ipsa testatur. Demonstrandum propterea erit *Deum* a Sacris Literis nobis proponi, pro caussa *efficiente*, *finali*, *exemplari*, atque *creatrice* rerum visibilium, & corporearum, simulque invisibilium, & spiritualium. De visibilibus & corporeis in Philosophicis actum fuit; superest propterea, ut præmissa Revelationis luce, sermo instituatur de *Angelis*, qui substantiæ sunt immateriales, & de *primo Homine*, in quo Deus miro sapientiæ artificio spiritualem Animam terreno corpori consociavit.

Angelorum *Existentiam* inficiabantur apud Hebræos Sadducæi, & nunc pernegant cum Tolando Spinosistæ, qui unicam materialem substantiam agnoscunt. Angelorum meminerunt Platonici, aliique non solius

Gra-

Greciæ, ſed barbararum quoque nationum Philoſophi. Verum *minora* quædam in Angelis *Numina*, illi venerati ſunt cum Valentinianis, aliiſque *Aeonum* architectis, de quibus legendi Irenæus, Tertullianus, & Auguſtinus, qui animadvertit a Seleucianis conſtitutos fuiſſe Angelos animarum *creatores*. Ab eodem S. Doctore in libris *de Civit. Dei* appellantur Angeli *animalia rationalia*; & in Enchiridio difficillima dicitur quæſtio *de corporibus* Angelorum. Purgant nihilominus Auguſtinum a qualibet erroris ſuſpicione Theologi, qui catholicum dogma confirmant teſtimoniis Patrum Ignatii, Irenæi, Gregorii Niſſeni, Baſilii, Hieronymi, Chryſoſtomi, aliorumque, quibus addenda ſunt Concilia, ut Lateranenſe IV., quod immerito inſectantur Novatores. Bekkerus Calviniſta, ſive potius Anabaptiſta in libro, cui *Mundi faſcinati* titulum poſuit, Angelorum, Dæmonumque doctrinam, a prophanarum gentium ſcholis, & a fabulis ubique locorum diſſeminatis, in Eccleſiam commigraſſe arbitratur, conaturque malos præſertim Angelos de medio auferre, & obtorto collo in allegoricum ſenſum trahere veteris, novique Fœderis teſtimonia, in quibus bonorum, malorumque Spirituum exiſtentia, & opera proponuntur. Nullum tamen negotium nobis faceſſere poterunt illius ſophiſmata, neque etiam alia, quæ proponuntur a Vandalio in ſuo opere *de Divinationibus*. Præter Dogmaticos, qui in demonſtranda *natura Angelorum*, cum illorum *numero*, & *officiis* conſpirant, erudita Diſſertatio Calmeti *in bonos, maloſque Angelos* præteriri non debet.

Primo itaque expoſitis *nominibus*, quibus Angeli deſignantur, demonſtranda a nobis eſt eorum *exiſtentia*, quam Sacræ literæ annunciant, quæque inſertur ex Symbolo conſtituente Deum *inviſibilium* etiam rerum Creatorem, atque ex perenni traditione, cui multiplex

 ratio

ratio theologica adſtipulatur. Secundo oſtendetur Angelos *in tempore* creatos, & in prima orbis conditi die fuiſſe *aſtra matutina*, quæ in libro Jobi Deum laudare dicuntur, eiſdemque præſediſſe Luciferum, ſive ex plurimorum ſententia *Beemoth*, qui nominatur *initium viarum Domini*. 3. *Incorporeos* eſſe Angelos deducetur ex epiſtola ad Hebræos, atque ex traditione ſuperius commemorata. 4. Ingentem Angelorum *numerum*, & multitudinem inficiari non poterit, quicumque teſtimonia Jobi, Danielis, Matthæi, Pauli, & Joannis expenderit. In diſtinctos *Gradus hierarchicos*, atque in *Choros* Angeli diſtribuentur; utrum vero *ſpecie* ſinguli differant incertum arbitror. 5. Bonos Angelos ſuam *beatitatem* promeruiſſe, & malos ſuam *damnationem* Divinæ Juſtitiæ conſonum æſtimabitur. 6. Præmiſſa Angelorum cognitione naturali, & revelata, de *aſſumptis* ab eiſdem *corporibus* ſermo habebitur, ad illuſtrandas *Miſſiones*, & *Legationes*, quibus Angelos functos fuiſſe edocent Divina volumina. 7. A Sanctis Angelis regi homines, & *cuſtodiri*, argumentis evidentiſſimis demonſtrabitur.

Ab Angelis ad *primum Hominem*, ſervata rerum tractandarum methodo, progrediamur. Ego autem in votis habeo, ut prius oſtendatur Deum *in principio temporis* cuncta creaſſe, Moſaicam *Coſmogoniam* prophanis hiſtoriis anteferendam eſſe, *ſex dies*, qui in primo Geneſeos capite nominantur, *veros* fuiſſe, & non metaphoricos; & in ſexta die *Adam* fuiſſe creatum *ad imaginem* & *ſimilitudinem* Dei, quæ apparet in facultate intelligendi, & in voluntatis libertate. Hac libertate abuſus, frangendo legem ſibi impoſitam, & Dæmonis ſuaſionibus aſſentiendo, ab originali juſtitia *Adam* excidit, mortem, effrænem concupiſcentiam, aliaſque *pœnas* ſibi, ſuiſque poſteris debitas promeruit. Homines quicumque ab eodem Protoplaſto *originem* ſuam nanciſcun-

ſcun-

ſcuntur : qua de re repudianda erit *Præadamitarum* fabula, & illuſtranda teſtimonia Scripturarum, cum hiſtoricis diverſarum gentium narrationibus, quæ adverſari quibuſdam viſæ ſunt catholicæ huic doctrinæ.

Præter originale peccatum, de quo in Septimi Anni exercitationibus diſputabitur, ad ſobolem Adami univerſam *Noviſſima* pertinent, quæ ſunt *Mors*, *Judicium*, *Infernus*, & *Gloria cœleſtis*. De *Morte*, & de futura corporum *Reſurrectione* inquirendum eſt 1. quid ſit *Mors*, & an quicumque homines ſint morituri; 2. Utrum *Henoch*, & *Elias* cum *Joanne* Evangeliſta mortem obierint; 3. an Adamo non peccante corpora hominum a *morte immunia* ſervata fuiſſent; 4. utrum *Reſurrectio* humanorum corporum *poſſibilis* ſit, & aliquando *futura*; 5. utrum reſurrecturi ſint *omnes* omnino homines, etiam *impii*; 6. qua *ætate*, quo *corpore*, quo *tempore*, & quo *loco* reſurrectio fiet; 7. utrum *Deipara* reſurrexerit, & in cœlum *aſſumpta* fuerit.

De *finali Judicio* hæc dubia proponi poterunt; 1. an præter *privatum Judicium*, quod in morte peragitur cujuslibet hominis, *Judicium* aliquod *univerſale* expectari debeat; 2. quæ *Signa* univerſale Judicium prænunciatura ſint; & utrum *Antichriſtus* dominaturus ſit in terris, poſtremis mundi temporibus; 3. an, & quomodo *judicandi poteſtas* Chriſto Domino ſit committenda; 4. quonam in *loco*, quo *tempore*, & qua *methodo* fieri debeat Judicium; 5. an etiam *Sancti* ſublimiores judicaturi, & *Angeli* cum *parvulis* ſint judicandi; 6. quæ futura ſit *conflagratio*, & *renovatio* mundi poſt Judicium.

De *inferna* damnatorum *ſede* inquirendum eſt 1. an *ſubterranea* defunctorum *receptacula* ſint admittenda, & ea inter numerari debeat *Infernus*; 2. quinam inferorum pœnis crucientur *Angeli*, & *Homines*; 3. utrum Inferni *ſupplicia* ſint *æterna*; 4. utrum eadem

cessent aliquando, aut *mitiora* reddantur, & utrum quispiam ab Inferno *liberari possit*, sive liberatus fuerit; 5. quibus *pœnis* damnati puniantur; 6. an tartareus ignis sit *corporeus*, & qua ratione cruciet *spiritus* immateriales, & cruciaturus sit *corpora* post universale Judicium, absque corporum eorumdem resolutione.

De *Gloria Cœlesti* plura alio loco discussa fuerunt, quæ ad Dei visionem referebantur. Quærendum itaque remanet 1. utrum *Regnum millenarium* Christi, & Sanctorum post universale Judicium opponatur fidei, & rationi; 2. in quonam collocari possit *essentia* beatitudinis, & quale judicium ferendum sit de *Illapsu* Dei in Beatorum animas; 3. quæ futuræ sint *Dotes* corporum gloriosorum, Sanctorumque *Aureolæ*; 4. qua gloria *essentiali*, simul & *accidentali* fruatur Beatissima Virgo Maria.

De *Morte* hominibus quibuscumque post Adami culpam communi, etiam illis, qui in Judicii finalis pervigilio vivent, legi poterunt Tertullianus in libro *de Anima*, S. Hieronymus in Epist. *ad Minerium*, & *Alexandrum*, & S. Thomas lect. 2. *in Epist. ad Thessal.*. Henochum, & Eliam adhuc superstites vivere post Alcuinum lib. 3. *de Trinit.*, & Aretam Cæsariensem, Theologi inferunt ex Scripturarum contextu contra traditionem Rabbinorum, quibus adhærent Grotius, & Clericus. De obitu autem S. Joannis Evangelistæ non dubitant SS. Hieronymus *in Catal.*, & in *Comment. Matthæi*, atque Cœlestinus I. in Epist. *ad Synod. Ephesinam* data Evangelica de Joanne verba erudite, & solide a Calmeto illustrantur. Quod Mors fuerit *stipendium peccati*, definitum est in Conciliis Diospolitano, Ephesino, Milevitano, & Arausicano, quibus addantur Patres, imprimis Augustinus in lib. *de gestis Pelagii*. Pelagius revera, cui Mercerus Hebræos consociat, & Calvinistas, morti homines obnoxios reddidit

dit

dit, etiamsi Adam innocens perstitisset. *Mortuorum Resurrectionem*, quam cum risu exceperunt, Paulo eam prædicante, Athenienses, & cui opponuntur Spinosa, Tolandus, Collinsius, aliique Christianorum dogmatum irrisores, possibilem esse, & aliquando, futuram ostendunt Athenagoras, Tertullianus, & SS. Gregorius Nissenus, Ambrosius, & Chrysostomus, cum Anastasio Sinaita, qui suis in *Sermonibus* probat, eamdem Resurrectionem divinæ justitiæ consonam esse. Præter doctores Catholicos, conferri merentur Protestantium libri Georgii Callixti, Abr. Calovii, Jo. Gerhardi, & Henr. Hottingeri. Apud eos discussa invenientur dubia quæ pertinent ad *ætatem*, *tempus*, *locumque* Resurrectionis, & ad *corpora* resurgentium. Argumentum desumptum ex Antropofagis solvitur ab Augustino ab Estio, & a Lamio. Aliud, quod proponitur de materiæ *massa*, & *quantitate*, quæ necessaria erit pro humanorum corporum resolutorum *refectione*, a me ipso prostratum fuit, hac facta supputatione, quod si octingenti hominum miliones globum terraqueum perpetuo incolant, & tres, sive etiam quatuor generationes quolibet sæculo renoventur, adhuc hominis uniuscujusque corpus integrum perfectumque, jubente Deo, ad vitam revocari poterit, etiamsi universalis resurrectio protrahatur ad tercenta annorum millia, & sola *superficies* terræ consideretur pro hominum eorumdem genesi, & nutritione. Tandem de *corporea* Beatæ Virginis *Assumptione* consulendi erunt Baronius ad annum 48. Nat. Alexander Tom. III. sæc. 2. & alii passim; præsertim *Liturgiarum* illustratores; ita ut de unius Tillemontii mente dubitare possimus.

De *postremis* mundi *temporibus*, de *Antichristo*, de *Judicii* suprema *die*, & de *exustione* mundi, accurate non minus quam erudite, plura expenduntur ab Hier. Maggio in libro *de exustione mundi & de ultimo Judicio*

dicio, a Th. Malvenda in satis amplo opere *de Antichristo*, ab Hug. Grotio, qui brevem de eodem Pseudo Christo librum conscripsit, & a Jac. Thomasio, cui placuit Dissertationibus de *exustione mundi stoica*, nonnulla inserere ad rem nostram spectantia. *Universale Judicium* prænunciatum a Joele, atque ab aliis veteris Testamenti Prophetis, proponitur in Evangeliis, in Pauli epistolis, & in Apocalypsi; quamobrem sacrorum librorum Interpretes in hac controversia, non minus proderunt, quam Theologi.

Adversus Tartari *existentiam*, ejusdemque *perennitatem*, & *flammas*, nostro hoc quo vivimus sæculo impii homines post Socinianos, & Arminianos, præsertim in Anglia debacchantur. Burneti liber *de Statu mortuorum*, & Tillotsoni *Sermo* de hoc argumento, errorem renovant Origenistarum, quibus jam plausum fecerant Lockius, Wollastonus, Leadia, aliique, quorum scriptis corda mentesque hominum corrumpuntur. Ea de re nullus dubito, prorsus necessarium esse exitiales pravorum Deistarum impetus retundere. De *futuro impiorum statu*, & de *sede Inferni in terris quærenda*, doctos edidit commentarios Io. Vinc. Patuzzi, qui plurimorum librorum vices supplet in polemicis hisce quæstionibus. Alterius vitæ *necessitas* ab illo statuitur, pro collatione præmiorum, pœnarumque inflictione: quod a nobis præstitum est in expositione principiorum Juris Naturalis.

Subterranea animarum *Receptacula* conformia sunt legitimæ, sinceræque lectioni Scripturarum, a quibus instruimur, Samuelem *de terra ascendentem*, videndum se præbuisse Pythonissæ mulieri, & Christum Dominum in triduo mortis *ad Inferos descendisse*. Symboli Apostolici verba, quibus obsistere religio vetat, illustrari debent contra Vossium, atque Bochartum, quibus accessit apud Britannos Swindenius, qui

se-

sedem Inferni in *Sole* quærendam esse comminiscitur. Pro Inferni pœnarum *æternitate* firmissima momenta proferunt Patuzzius, & ante eum in Origenianis Huetius, qui tamen lib. 2. cap. 11. infelici ausu carpit Augustinum, Nourry in *Apparatu* ad Opera *Justini*, & passim Dogmatici. Petavius magni apud istos nominis eumdem Augustinum, & alios Patres stetisse opinatur pro *mitigatione*, & *intermissione* pœnarum; sed ab erroris suspicione iidem liberandi esse videntur, exceptis Joanne Damasceno, Prudentio Poeta, & quibusdam sequioris ævi Ritualibus Libris, in quibus *preces*, & *collectæ* pro damnatis leguntur, *ut mitius ardeant*. Plures, quæ circumferuntur, & præsertim *de Trajano Cæsare* historicæ narrationes, inter aniles fabulas & ipsæ amandentur, ob Justitiæ divinæ immutabile decretum, cujus efficaciam Clericus, & Tillotsonus futiliter imminuere conati sunt.

De pœna *damni* non dubitant, quicumque tartareo carcere impios detineri fatentur; sed *ignem*, a quo *veris*, *mirisque modis* spiritus rebellium Angelorum, hominumque torqueri Augustinus affirmat, metaphorice sumendum esse voluerunt Calvinus, Beza, Danæus, & alii, quorum nomina a Patuzzio recensentur. Contra eosdem clamat constans & perpetua traditio, quæ vindicanda est etiam a libertinorum machinationibus. Cætera, quæ ad crisim theologicam revocari oportet, minoris momenti sunt, & persunctorie tractanda.

Millenarium Christi Regnum, cum veterum Kiliastarum cineribus sepultum, ad vitam revocare conatus est in pestilenti opere superius improbato Burnetus, qui non solum suis cum gregalibus *retardari* affirmat justorum beatitudinem usque ad supremam universalis Judicii diem, sed absoluto eodem Judicio, Sanctos in terra hac renovata, *mille annis* cum Christo Re-

ge

ge dominaturos arbitratur, terrenisque *deliciis* fruituros. Contra Burnetum scripsit Cl. Muratorius, cujus liber *de Paradiso* omnino evolvendus est, non solum, ut ostendatur justis nullam maculam, nihilque coinquinatum habentibus, æternam mercedem, Deique visionem, & fruitionem non differri, sed ut appareat millenarium regnum inter vanas ægrorum species collocari posse, quod ante Muratorium Angelicus, de Castro, Bellarminus, Petavius, Vasquesius, & post eumdem Boucat, Berti, & Billuart fusiori argumentatione demonstrant. Dissertationes le Quieni *in Damascenum*, Nourry in *Apparatu*, & du Pinii *in Apocalypsim* plura nobis suppeditant, quibus utrumque orthodoxæ doctrinæ caput fulcitur, atque defenditur.

Cum tamen *secretum Patris*, sive Dei visio, & fruitio, in probatissimis Ecclesiæ monimentis appelletur *Sinus Abrahæ*, inde potest oriri suspicio, utrum pro vera admitti debeat opinio Io. Cadonici, qui primo theologicis argumentis, ac deinde Scripturarum, Augustini, aliorumque Patrum testimoniis conatur evincere, Justos *ante Christi adventum* in eodem Abrahæ sinu quiescentes, *visione* Dei *intuitiva* gavisos fuisse. In hac sane visione, sive in fruitione, qua satiantur Beati *Illapsum Dei* in animas, & potentias eorumdem admitti oportere Lodigerius, Soggia, Canalius, aliique ex nostris affirmant, obsistente tamen frequenti Scholasticorum caterva.. Non ausim ego tantas componere lites; verum, si Deus in Beatis præstat effectus, atque operationes ordinis supernaturalis, & maxime speciales, quales sunt Lumen gloriæ, repræsentatio sui ipsius, & concursus ad actus visionis intuitivæ, amorisque fruitivi, *Illapsum* Numinis admitti posse authumarem pro formali beatitudine in actu primo, in quo consideratur potentia proxima, & expedita erumpendi in supernaturales actus visionis, & amoris Dei. Sub-

Subterranea inter animarum receptacula superius commemorata, etiam *Purgatorii sedes* collocanda erit. Purgatorii *existentiam* iusinuant cum Divinis Libris Ecclesiæ Patres, quibus persuasum fuit homines, qui satis non fecissent divinæ Justitiæ, eo tempore, quo fruebantur hujus lucis usura, pro levibus criminibus, proque temporalis pœnæ debito *purgandos* esse, & puniendos in *altero sæculo*: quod dogma a Platonicorum placitis haustum, novisque pigmentis coloratum, in Ecclesiæ septa se insinuasse, credendum non est. *Purgatorius ignis* a Latinis defenditur adversus Orientales, qui in Florentino Concilio *igni corporeo* obstiterunt. Quamvis autem spiritus, qui purgantur, acerbissimos cruciatus tolerent, non tamen subjacent *Dæmonum potestati* & arbitrio, neque de æterna beatitate assequenda *dubitant*, aut *desperant*, postquam pœnæ luendæ satisfecerint, & venialium criminum remissionem obtinuerint. Sicuti vero Divinæ clementiæ beneficio permittuntur *pro viventibus orare*, ita viventium *suffragia* purgantibus prodesse docet in liturgicis Officiis Ecclesia, Deo ipso ratam habente compensationem satisfactionis sibi debitæ. Mutuo igitur charitatis fœdere ad invicem seipsos foventes, defunctis suffragantur fideles, precesque *offerunt* & Sacrifica eidem Supremo Numini, qui nunquam misereri obliviscitur, & in ira sua misericordiam continere dedignatur. Huic eidem fundamento innituntur *Indulgentiæ*, quibus per modum suffragii juvantur Purgantis Ecclesiæ membra.

Nonnulla, quibus Purgatorii *existentia*, & oblata Deo *suffragia* confirmari possunt, consectaria sunt veteris Disclipinæ pœnitentialis, & in expositione Sacramenti Pœnitentiæ accurato examini subjicientur. De Purgatorio differentes, post S. Augustinum *de piis mortuis*, & S. Jo. Damascenum, le Quieni *Dissertationibus* auctum, proponam Bellarminum, Fratres

 Wal-

Wallemburgicos, Allatium *de consensu*, Arcudium *de Purgatorio*, Auctorem *perpetuitatis Fidei*, Thomam Anglum *de medio animarum statu*, Mabillonium in *Praef.* ad lib. 3. *Annal. Benedict.*, Cotelerium ad lib. 8. *Constit. Apost.*, & Dogmaticos, quibus curae fuit Novatorum oppositiones retundere. Dissertationem satis utilem *de Purgatorio* publici juris fecit P. a Porta, qui ex graeca lingua, in qua, sicut & in aliis excellit, nova promit subsidia laudibus Criticorum dignissima.

Annus Septimus.

DE ACTIBUS HUMANIS,

Conscientia, *Legibus*, *Vitiis*, *&* *Peccatis*, *Justitia*, *&* *Jure*.

Quaecumque in hoc septimo Anno tractanda erunt, ad *mores hominum* referuntur, & fundamenta appellari possunt Moralis Theologiae, non minus eam profitentibus, quam societati Christianorum universae utilissima, planeque necessaria. Brevissime ab illis me expediam, ne videar noctuas Athenas ferre, & ea proponere, quae in minimis quoque Ordinis nostri coenobiis vulgaria, & notissima sunt. Primo itaque exordiri placet ab *Actibus humanis*, de quibus plura in tertio Anno Philosophico disputata fuerunt. Opportunum nunc erit scrutari, quid sit *spontaneum*, *voluntarium*, *liberum*, *involuntarium*, *violentum*, & *coactum*; ac deinde quatuor dubia dissolvenda erunt. Primum est, quandonam *effectus malus* indirecte voluntarius in caussa positiva, sive etiam

tiam negativa, *imputetur* ad culpam; 2. Quomodo ad voluntarium se habeant, & referantur *ignorantia*, *concupiscentia*, & *metus*: 3. Undenam *Actus humani* desumant suam *bonitatem*, *malitiamque* moralem; 4. Utrum *bonitas*, & *malitia* inveniantur in Actibus, nedum internis, sed etiam externis, & an utrique pertineant ad eamdem speciem.

Conscientia, quæ *cordis scientia* a S. Bernardo appellatur, a nobis assumenda est pro *scientia*, quæ voluntati proponitur de *honestate*, aut *pravitate* Actuum humanorum; ob quam caussam in Conscientia attenditur applicatio moralis scientiæ ad aliquem actum, ut manifestetur *conformitas*, sive *difformitas* illius a prima, æterna, & immutabili regula morum. Conscentia in *certam* dividitur, *probabilem*, & *dubiam*. De Conscentia *certa* hoc problema proponitur; utrum quidpiam præcipiens, aut prohibens, obliget *sub pœna peccati*; & utrum *ultimum* Conscentiæ *dictamen* de actu licito sive illicito, debeat esse *moraliter certum*. De Conscientia *probabili*, quæ ut plurimum sententiæ probabili innititur, hanc thesim ostendendam propono: non licere sequi opinionem *minus probabilem* in concursu *probabilioris*. De Conscentia tandem *dubia*, quæ neutri assentitur parti, propter erroris formidinem, statuendum erit *tutiori parti* adhærendum esse, licet aliquando *præceptum* cessare possit, & *consilia* ad eamdem tutiorem partem eligendam invitent. Quæ tandem a Theologis disputantur de Conscientia *erronea*, *perplexa* sive *scrupulosa*, *timorata*, *consulente*, & *permittente*, *secura*, *temeraria*, & *perversa* sat erit primoribus labris gustare, earumque effectus, & salubriora remedia illis adhibenda scrutari.

Conscientia, interior est morum regula, cui exterior conformari debet, illa nimirum, quæ nobis a *Lege* proponitur. *Lex* autem bonum publicum præ

 ocu-

oculis habet, quod promulgatur per Legem ab eo, qui *Communitatis* curam gerit, eamque obligandi potestatem habet. Expensis *caussis*, *effectibus*, atque *conditionibus* Legis, divisiones illius proponendæ erunt. Alia equidem lex est *æterna*, alia *naturalis*, sicuti alia *divina*, & alia *humana*. *Aeternæ Legis* vocabulo, intelligitur ab Augustino Manichæos oppugnante, *Ratio & voluntas Dei* ordinem naturalem conservari jubens, perturbari vetans: *Lex* vero *naturalis* a Lege æterna, tamquam rivus a fonte scaturiens, *Ordinatio* erit *rectæ rationis* in bonum, insculpta cordibus hominum ab Authore Naturæ. Hanc *Legem naturalem* existere, probandum est Scripturarum, Patrumque testimonio, quo firmius stabilientur argumenta, quæ de eadem Lege exposita fuerunt anno tertio philosophico. Ibidem præcepta *Juris* sive *Legis naturalis* ad amorem Dei, sui ipsius, & proximi revocavimus. Consectaria nunc eorumdem præceptorum explicentur, ut Legis naturalis veri *limites* innotescant. Quærendum deinde erit, an Lex naturalis *una* sit atque *indelebilis*, an *mutationi* subjaceat, & *dispensationi* impetratæ a Deo Legis conditore; & an *Jus Gentium*, quod constanti consuetudine, & necessitate impellente, societates humanæ sibimetipsis præscripserunt, ad *Jus naturale* pertineat, sive, ut veritati conformius mihi visum est, ad *Jus positivum*.

Inter *positivas* Leges *Divina* primatum obtinet, sive *Decretum* Dei præcipientis modum, quo possint homines vitæ actus disponere in finem supernaturalem, & illum attingere. Dividitur in *Legem veterem*, quam *Mosaicam* vocant, & *novam*, sive *Evangelicam*. De Lege Mosaica demonstrandum est, *bonam* fuisse adversus Manichæos, suo in ordine & gradu *perfectam*, quamvis cum Evangelica si conferatur, sublimiori careat perfectionis statu, sedemque occupet humiliorem.

Fi-

Finis proximus antiquæ Legis, *institutio* fuit Israëliticæ Gentis, cujus etiam *supernaturalem felicitatem* Sapientissimus Legislator promovere intendit in altera vita, quod inficiatur Jansenius scribens, veterem Legem *sine ulla gratia sufficiente*, aut *adjuvante* datam fuisse, eamque gratiam scopo Mosaicæ Legis repugnasse. Quærendum denique est, an Lex antiqua *abrogata* fuerit, & quo tempore cœperit esse *Mortifera*. In *Lege nova*, cujus *caussa efficiens* unus est Christus Dominus, præcepta invenientur *moralia*, & *ceremonialia*; & de ipsa eâdem quærendum est, quando hominibus *data fuerit*, & quousque sit *duratura*.

Legis humanæ vocabulo Præcepta intelligimus *Civilia*, & *Ecclesiastica* promulgata ab illis, qui legitima potestate fruuntur, eadem Præcepta condendi in bonum Reipublicæ, & Ecclesiæ. Ad utramque legem servandam tenentur homines, qui utrique subjacent potestati. Qui vero sint utriusque potestatis *limites* nostri muneris non est definire.

Neminem porro latet *Peccatum* liberam esse transgressionem Legis; quamobrem a Legibus ad *Peccata* sermonem transferre decet. *Peccatum* definitur ab Augustino: dictum, vel factum, vel concupitum contra Legem æternam; & quamvis humanæ Leges ab æterna separentur, ab illa tamen proficiscuntur, sicuti de potestate legislativa Imperantium suo loco docuimus; ex quo sequitur, a peccato *immunes non reddi*, qui humanas leges infringunt, Deique ordinationi resistunt; & jure optimo proscriptam fuisse laxiorem sententiam, quod humanæ leges *in coscientia* non obligent. Peccatum opponitur rectæ rationi, æternaque Legi; atque ex oppositione, *specifica distinctio* sequitur peccatorum, quorum essentiam in sola *privatione* collocandam esse non arbitror. *Subjectum* peccati omnis est, & sola creatura rationalis, quæ abutitur liber-

tate

tate, & quæ prava voluntate assensum præbet actioni vetitæ a Legibus. Voluntas igitur *caussa* erit peccati, non Deus, de quo proterve simul & impie scripsit Calvinus, quod peccatum velit & operetur, hominesque ad illud excitet & impellat. Neque peccata omnia *æqualia* sunt *inter se*, quod a Stoicis didicerat Jovinianus, quia non omnia æqualiter opponuntur rectæ rationi, & alia præstantiores virtutes lædunt, inferiores alia.

De *conditionibus* etiam, quæ sunt exitialia alimenta peccati, de *advertentia*, & de voluntatis *consensione* verba fiant, atque peccatorum effectus tristissimi numerentur. *Divisio* deinde proponenda est peccatorum, & hanc meditanti e vestigio se offert peccatum *Originale*, quod a *Personali* distinguitur. Peccatum *Originale* admittendum esse, contra Pelagianos, & Socinianos testatur Fides Catholica. Hoc itaque dogmate præostenso, remanet investigandum *quid sit* originalis noxa in quo formaliter *consistat*, quomodo *propagetur*, an Beata Virgo Maria ab illa *immunis* servata fuerit, quibusve *pœnis* universa hominum turba originali veneno vitiata subjaceat. *Personale* peccatum in *Mortale*, & in *Veniale* dividitur. Inficiantur hoc Lutherani cum Calvinistis, quorum errori subscripsit Bajus, qui *nullam* admisit *venialem culpam*; & peccatum *quodcumque* pœnam æternam mereri commentus est. *Discrimen* propterea, Mortalia inter & Venialia crimina intercedens, tamquam fidei dogma theologicis doctrinis fulciatur, ac deinde repræsentetur criminis utriusque *natura* cum regulis, quibus unum ab altero discernitur, & segregatur. Laconica tandem oratione de peccatis *capitalibus* disceptandum est, & etiam de illis, quæ ex *omissione* nascuntur.

Peccatis, & vitiis miseræ hominum conditioni infensissimis opponuntur *Virtutes*, de quibus sparsim plura

pro-

proposita sunt & discussa. Peculiarem eas inter animadversionem efflagitat *Justitia*, quæ cum doctrinis connectitur de *Jure Naturali* traditis, & in *Elementis Juris Ecclesiastici* tradendis. Justitia, sive constans, & perpetua voluntas jus suum cuique tribuendi, ut effectum sortiatur, & latentibus injustitiæ scopulis allisa non pereat, primo quærendum est quid sint *Jus*, & *Dominium*, & in quas classes, sive species distribuantur. Investigari deinde poterunt modi, sive *tituli* acquirendi Dominium, ex *Juris gentium* principiis deductum. Inter eosdem primum sibi locum vindicat *Occupatio* illorum, quæ nullius subjacent potestati, ac deinde *Nativitas* animalium ex proprio animali, *Alluvio*, quæ a civilibus legibus regitur, *Specificatio*, sive novæ formæ introductio, *Confusio*, *Permixtio*, *Accessio* rei accidentalis ad principalem, *Aedificatio*, *Plantatio*, fructuum *Perceptio*, & *Traditio*. *Tituli*, sive modi, quibus Dominium acquiritur ex *Juris Civilis* dispositionibus, sunt *Præscriptio*, sive *Usucapio*, *Donatio*, *Hæreditas*, *Legatum*, *Fidei commissum*, *Bonorum possessio*, *Acquisitio* per arrogationem, & *Contractus*. Tum illa, tum ista Dominii legitimi fundamenta breviter explanentur.

Quamvis autem hominum *Dominio* subesse valeant sublunaria quæcumque, peculiari tamen studio investigandum est *Dominium*, quo frui possunt homines supra *seipsos*, supra *familiam*, & supra *servos*. Deinde proponendum est Dominium *Clericorum*, ex multiplici titulo illis obveniens, & *Religiosorum*, in quibus abdicatio proprietatis rerum, consectarium est Voti solemnis, ab eisdem emissi.

Præmissa cognitione *Juris*, *Dominii*, & *Subjecti* cui Dominium competit, planior aperitur semita *Justitiæ*, cujus beneficio homines, feritate deposita, socialis vitæ commodis & libertate fruuntur. Dividitur

in *distributivam*, *legalem*, & *commutativam* : & ad easdem species revocari potest Justitia *vindicativa*, quæ distributiva est in *Principe*, legalis in *subdito*, tolerante tributa & pœnas, commutativa in *æqualitate*, intercedente *datum* inter & *acceptum*, inter *delictum*, & *supplicium*. Unaquæque species ad debita Justitiæ servanda impellit, ut evitetur cum injustitia onus restitutionis, de qua Moralis Theologiæ magistri fuse loquuntur.

Annus Octavus.

DE SACRAMENTIS IN GENERE,

Baptismo, *Confirmatione*, & *Eucharistia*.

QUamvis unumquemque fidelem deceat *Sacramenta* nosse, per quæ omnis vera justitia, vel incipit, vel cœpta augetur, vel amissa reparatur, necessarium tamen est ab ecclesiastico homine, divinis eisdem Mysteriis tractandis addicto, nihil prorsus ignorari illorum, quæ referri possunt ad hæc pretiosissima *Dona*, quibus Christus Dominus reversurus ex hoc mundo ad Patrem, filios suos lucupletatos reliquit. Theologis propterea præstantissimis morem gerentes, priusquam de unoquoque Sacramento sermonem instituamus, generalia documenta proponenda erunt, in quæ omnium Sacramentorum, vel saltem plurium indoles, & natura conspirant. Hæc autem Prolegomena, quibus eximia luce quodlibet Sacramentum perfunditur, Dissertationem conficient, quæ obsoleto vocabulo appellatur *de Sacramentis in genere*, quia in illa tractandum est de Sacramentorum *Essentia*, *Exi-*

Existentia, *Materia*, & *Forma*, *Authore*, *Ministro*, *Subjecto*, *Efficacia*, & virtute, *Effectibus*, & *Ceremoniis*.

De *Essentia* itaque differentibus occurrunt nomina *Mysterii*, & *Sacramenti*, quibus intelligitur signum rei sacræ, qua fideles sanctificantur, Divinoque cultui dedicantur, atque initiantur. Hæc sane vocabula, sicuti & alia *Materiæ*, & *Formæ* novatores fastidiunt, præsertim Sociniani, qui mirari non debuissent rarius materiam, & formam, sive *partes* Sacramentorum, illorumque essentiam, & ceremonias, a vetustioribus Ecclesiæ Patribus recensitas inveniri, si animum intendissent ad *Arcani disciplinam*, quam Albertinus, & Binghamus falso affirmant, custodiri incœpisse Tertulliani ætate. Ostendit enim Emman. Schelstrat in Dissert. *de Disciplina Arcani* contra Tentzelium, in ipsis veluti Ecclesiæ crepundiis fuisse adhibitam, nedum ut prophanus Ethnicorum vulgus, sed et ipsi Catechumeni, ab Ecclesiæ plurium mysteriorum notitia arcerentur, sicuti ante Schelstratum docuerat Gabr. Albaspinæus in suis *Observat*. *Ecclesiast.* libris. De hac Arcani Disciplina pauca saltem delibanda tyronibus proponantur, præsertim ad eorum animos præparandos ad ea, quæ suo loco erunt inquirenda de *Verbis* ad sensibilia *Elementa* accedentibus, ut fiant *Sacramenta*; quod argumentum diligentissime versat anonymus Scriptor Dissertationis *de formulis Sacramentorum*, paucis ab hinc annis Parisiis editæ. Definitionem Sacramentorum a Catechismo Rom. propositam amplectentur, repudiatis, refutatisque illis, quæ proponuntur ab heterodoxis, quorum omnium mens fuit *Sacramentorum* germanam ideam, naturamque corrumpere, & impio in quod juraverant systemati accomodare.

Existentiam Sacramentorum a Lege naturæ excludendam esse censerem: quidquid in oppositum proferat

Tournely, cui tamen, ficuti & aliis pluribus, facile permiserim, pro lege Mosaica, ad Sacramenti dignitatem evectam fuisse Circumcisionem, Agnumque Paschalem, usque ad tempus, quo, ut vidimus anno superiore, legalia & ceremonialia veteris Testamenti, abrogata per Evangelium, cæperunt esse mortifera. Sacramenti tamen nomina & characteres pleno jure conveniunt *Baptismo*, *Confirmationi*, & *Eucharistiæ*, de quibus scholastico hoc anno, *Pœnitentiæ*, *Extremæ Unctioni*, *Ordini*, & *Matrimonio*, de quibus anno sequenti tractandum erit. *Septenarius* numerus imminui non debet, neque augeri, humili præsertim *pedum lotione*, quam Ecclesia, voluntatis Christi fidelis interpres, nunquam albo Sacramentorum inseruit. Et quamvis antiquitus pedum ablutio fieret in *Baptismo*, omissam tamen fuisse novimus, ne ad Sacramenti essentiam spectare videretur; & sequiori ætate, in Dominica Palmarum die, *Capitilavium* loco Pedilavii fiebat supra Catechumenos, quod Alcuinus, & vetera Missalia a Mabillonio diligenter collecta & illustrata testantur.

Materiæ, *Formæque* Sacramentorum vocabula, sæculo Ecclesiæ XIII. invaluisse notum est, & sane utiliter, ad exprimenda sensibilia *Elementa*, & *Verba*, in quibus mutatio quælibet caute evitanda est, licet non omnis mutatio Sacramenta irritet. Huic mutationi obnoxia præsertim redduntur *Verba*, quæ consecratoria esse, non mere promissoria, sive concionatoria, frequenter Ecclesia docuit contra Lutheranos, & Calvinistas, quibus non suffragantur *catecheses*, atque *conciones*, quæ ex inducto apud veteres usu, præmittebantur Sacramentorum ministrationi. Eadem Sacramenta a Christo Domino *instituta* fuisse una omnium Catholicorum sententia est, fidei dogmate stabilita; & quamvis cum Mag. Sententiarum nonnulli veteres, *mediatam* Divino Reparatori Sacramentorum quorum-

dam

dam tribuant Institutionem, a me ipso tamen impetrare non potui, ut illis acquiescerem, cum evidens sit, institutionem *immediatam*, inconcussæ fidei doctrinæ consentaneam esse.

De Sacramentorum *Ministro* in eamdem sententiam omnium vota conspirant, nempe, quod esse debeat homo fidelis, qui legitimæ *Ordinationis* beneficio, ad Dei mysteriorum dispensationem vocatus fuerit. Quæ de Ministris *extraordinariis* quorumdam Sacramentorum sunt excipienda, alibi proponentur. Internæ Ministrorum conditiones, *Intentio* videlicet, *Fides*, & *Probitas* controversiæ gravissimæ locum dedere, quæ sapientum ingenia exercet. Intentionem *actualem*, sive *virtualem* requiri in Ministris, id faciendi quod facit Ecclesia, inficiantur novatores, quibus persuasum est homines justificari per fidem, & sensibilia Sacramentorum symbola, nuda esse ad fidem incitamenta; cumque Lutherus *mimici* etiam *ministerii* valorem probaverit, Chemnitius cum Calvinistis, audacissimam impii præceptoris vesaniam emollire conatur, pluribusque gloriatur historicis, dogmaticisque argumentis, a quibus sane caussa Catholicorum non læditur. Quid tamen consilii capiendum, de Ambrosii Catharini opinione, novis phaleris exornata a PP. Contensonio, Serry, & Rei Sacramentariæ Scriptore? Adversus eam aliquando plura argumenta congessi, ut auditorum animos in oppositam sententiam deducerem. Verum, si Minister *libere* & *serio* operetur, cum firmo mentis proposito id faciendi quod facit Ecclesia, quanti æstimanda erit occulta intentio illius irritandi Sacramentum, sive illud non conficiendi? Sacrum opus libere & serio peractum, nonne reddit enervem, vel melius enecat contrariam, & in animo latentem, sententiam, qua improbus Minister sibi metipsi fucum

facit ? Hoc argumento me vehementer commotum, eoque solvendo imparem, ingenue fateor.

Alterum controversiæ caput de *Fide* Ministri, maximo partium impetu agitatum fuit eo tempore, quo S. Cyprianus a Januario, aliisque Numidiæ Episcopis interrogatus, respondit, nullum esse Baptisma collatum ab *Hæreticis*, & a *Schismaticis*. Quamvis autem, ut notum est, & Firmilianus Cæsaræensis Metropolita, in Cypriani, & Carthaginensis Synodi sententiam descendisset, S. Stephanus Rom. Pontifex contrarium decretum edidit, a Conciliis pluribus confirmatum, atque etiam a *Plenario*, cujus meminit Augustinus, & a Tridentino. Præter Theologos, hoc Cypriani dissidium accurate expendunt Nat. Alexander, & Tillemontius, nostraque hac ætate PP. Missorius, & Sbaralea, quorum labores eruditi magis quam solidi, mihi eos consulenti visi sunt. Hæresi, & Schismati addatur Ministri *improbitas*, quæ Sacramenta non vitiat, sicuti Donatistæ opinabantur, exemplo ducti venenatæ arboris, ex qua saluberrimi fructus nequeunt erumpere, & muscæ morientis, quæ perdit unguenti suavitatem; perinde ac si, propria Ministrorum Sacramenta forent, non Jesu Christi. De *subjecto*, in quod Sacramenta virtutem suam exerunt, & efficaciam, pauca notanda erunt. *Gratiam* ab eisdem conferri *ex opere operato*, nemo omnium Catholicorum dubitat, quotiescumque nullo obice tanti beneficii diffusio retardetur. *Moraliter* tamen, non *physice* eamdem gratiam a Sacramentis produci, ipse ego arbitror adversus Thomistas. Angelico tamen eorum Magistro adhærendum est, scribenti, vetera Sacramenta, ipsamque Circumcisionem contulisse gratiam *ex opere operantis*, minorique in pretio habenda esse Sacramentis Evangelicæ legis. Post Gratiam, alterum quibusdam in Sacramentis effectum Ecclesia recolit, videlicet *Characterem* a perpetua tra-

traditione propositum, & a Concilio Tridentino firmius stabilitum.

Quatuor de Sacramentis in genere Theologos cuicumque obvios nuncupabo, Casp. Jueninum, Hon. Tournely, Rei Sacramentariæ Scriptorem, redundanti quamvis verborum copia lectoribus gravem, & Laur. Berti. Eorum subsidio absolutam de Sacramentis in *genere*, & in *specie* tractationem adornare poterunt Juvenum nostrorum Magistri. Præter Bellarminum, aliosque Controversistas Th. Waldensis, Maldonatus, & Arcudius plura exhibent, ad Sacramentorum in genere doctrinam utilissima. De Sacramentorum numero in utraque Ecclesia cum Arcudio legendus est Allatius *de consensu* lib. 2. De lotione pedum a Sacramentorum numero exturbanda differunt Maurini *in Ambrosium*, Mabillonius *in Bernardum*. Quando vocabula *Materiæ*, & *Formæ* adhibita primum fuerint in Ecclesia, erudite docet Morinus lib. 7. *de Pœnitentia*, & post eum Arcudius, & alii. Idem Morinus examen assumit Formæ *conditionalis* lib. 10. *de Pœnit.*, & *de Sac. Ordinat.* Exerc. 1. cui addatur Martenius *de ant. Eccl. rit.* Intentionem Ministri ad trutinam revocant Salmeron in *Epist. ad Rom.*, Contensonius in exiguo libello *contra Bellarminum*, Card. Pallavicinus in *Hist. Conc. Trid.* & Pet. de Marca in *Dissert. posthuma de Sacrificiis*. De Charactere Sacramentorum Morinus de *Sacr. Ordinat.* Exercit. 3. Tandem pro ritibus, & ceremoniis nomino Jos. Vicecomitem, Euchologium Goarii, Edm. Martene, Liturgias editas a Mabillonio, & ab Assemanio, & Jos. Binghamum accuratissimum, qui Anglicanæ tamen Ecclesiæ venena utilibus doctrinis permiscet.

Aquam mundam ab Ezechiele prænunciatam, & supra unumquemque Christianorum effusam, extulit ad *Sacramenti* dignitatem Christus Dominus, ut ab ori-

 ginali

ginali macula, & ab actualium criminum sordibus homines purgarentur. Catholicam de hoc *Baptismi* Sacramento doctrinam, sartam tectam custodiunt Dogmatici, qui illius *Essentiam*, in definitionem partesque divisam, *Existentiam*, *Necessitatem*, *Institutorem*, *Ministrum*, *Subiectum*, *Virtutem*, *Effectus*, *& Ceremonias* solerti investigatione scrutantur. Baptismus itaque, sive Sacramentum *regenerationis* per *aquam* in *verbo*, longe distat a Gentilium, Judæorumque *ablutionibus*, neque ab illis suam desumit originem, quemadmodum Grotio, Spencero, Vandalio, & Litghtfooto visum est, neque etiam *externi signi* nudum characterem habet, sicuti Sociniani affirmant, cum ab eo producatur gratia, & veteris hominis crimina deleantur. *Materiæ* Baptismi corruptores numerantur a Martenio lib. I. art. 4., ubi cum Grotio, & Binghamo ignem cum aqua a pluribus fuisse adhibitum scribit, pro ritu ceremoniali, non pro Sacramenti materia. Verum hæc Baptismata sicuti etiam illa, quæ fiebant in oleo, vino, cervisia, arena, & similibus improbanda erunt, quotiescumque Aqua *vera* & *naturalis* designata a Christo, in sensum metaphoricum detorqueri non possit. Per *trinam immersionem* antiqui fideles baptizabantur; cum tamen exempla non desint Baptismatum per *mersionem unicam*, per *infusionem*, & per *aspersionem* collatorum, non in sola Clinicorum necessitate, sed in publico etiam solemnique ritu, ideo Sacramentum hoc suo valore non destituitur, si per *infusionem*, aut *aspersionem* conferatur, quod sæculo XIV. labente, fieri cœptum fuit apud Latinos, ut fœminarum modestiæ, & infantium incolumitati provideretur. Præter documenta, quæ ex Mabillonio, & Ciampinio collegit P. Berti, alia reperiri poterunt apud Binghamum in suis *Originibus*, Martenium supra commendatum, Chardonium lib. I. *Hist. Sacram.* & Thiers Tom. I. Hist. *Superstitionum*, qui-

quibus impii homines conati ſunt Eccleſiæ Sacramenta vitiare.

Ab eisdem Scriptoribus recenſentur innovatores *Formæ* inſtitutæ a Chriſto, pro ſancto regenerationis lavacro. Ab ipſo Apoſtolorum ævo Baptiſmi Formam interpolatam fuiſſe certum eſt, in eum præcipue finem, ut nova erroribus pararentur præſidia; quamobrem præter Gnoſticos, Priſcillianiſtas, Menandrum, Cataphryges, Marcoſianos, & Sabellianos, ab ipſis quoque Arianis adulteratam affirmat Baronius, cui tamen aſſentiri non poſsum, ob Athanaſii, aliorumque antiquorum ſilentium. Eunomius, qui ſuis cum gregalibus *in mortem Domini* baptizabat, abſtinuiſſe mihi viſus eſt ab expreſsa Trinitatis invocatione, ut Arianos palparet, quibus impenſe ſavebat. Caveant tamen noſtrorum juvenum præceptores, a confundendo pravam Eunomii diſciplinam, cum opinione catholica Theologorum quorumdam, qui docuerunt ex Dei ſpeciali mandato Apoſtolos, in prima exorientis Eccleſiæ propagatione, neophitos *in Chriſti nomine* abluiſse. Quamvis enim nullius efficaciæ reputandum nunc foret Baptisma traditum in Chriſti nomine, adhuc non deſunt poſt S. Thomam viri doctiſſimi, quos inter eminet Card. Orſius, qui cenſuerunt primis poſt Aſcenſionem Chriſti temporibus, ab Apoſtolis in divini ejuſdem Eccleſiæ Inſtitutoris *nomine*, Catechumenos ſalutaribus undis aſperſos fuiſse. Ex adverſo tamen præliantur innumeri ſere doctores, ad quorum latus incedendum cenſeo, cum teſtimonia & exempla, quibus Orſius gloriatur, præſcriptam Trinitatis invocationem non turbent, & de Baptiſmo Chriſti, & in ejus fide ſuſcepto explicanda ſint.

Quibuſcumque hominibus ſanctum *Lavacrum* neceſsarium eſse neceſſitate medii, & pro adultis etiam præcepti, docet fides & inſinuat traditio. De Pueris

decedentibus *sine Baptismo*, & de eorum *pœnis*, hoc loco disserendi facultas dabitur, nisi de eisdem actum fuerit in discussione Originalis peccati. De hoc similiter ambigendum non est, quod Baptisma *flaminis* sive desiderii in adultis, & *sanguinis*, sive martyrii etiam in parvulis, *flumineo*, ut ajunt, sive aqueo Baptismati æquivalet, ex voluntate Christi Domini, qui hoc salubre mysterium mihi visus est instituisse in Jordane, manifestasse Nicodemo, & aliis quibusdam ante passionem, & post mortis triumphum, & resurrectionem, ad universum humanum genus ampliasse, ut vim *medii*, atque *præcepti* obtineret. Nisi mea me opinio deserit, ita conciliantur dissonæ Patrum, & Theologorum sententiæ.

In proponendo *Ministro*, & *Subjecto* Baptismi, a laudatis Scriptoribus recedendum non est, & præsertim a Tournely, & a P. Berti, qui sermonem instituunt de Ministro extraordinario, pro quo utilis foret Dissertatio Binghami *de Baptismo Laicorum*, nisi audacissime in Romanam Ecclesiam insurgeret. De Infantium Baptismo, quæ turbæ excitatæ fuerint, neminem fugit; verum in proponendo catholico dogmate, refellenda est opinio Salmasii in *Epist. ad Justum Pacium*, Suicerii Tom. II. *Thes. Eccles.* Vitringæ in Dissert. *de Pædobaptismo*, & Vandalii in *Bapt. Hist.* Eidem placuit adhærere Lud. Vives affirmanti in cap. 27. lib. 1. *de Civit. Dei*, licitum quidem esse Baptisma puerorum, sed hanc disciplinam destitui Apostolica, & Ecclesiastica priorum sæculorum traditione. Splendidum hoc mendacium erudite confutatum invenio ab ipso Binghamo, proferente vindices *Pædobaptismi*, Hermam, Justinum Martyrem, auctorem Recognitionum, Irenæum, Cyprianum, ipsumque Tertullianum, quem Anabaptistis eripiunt Muratorius *de ingen. moderatione* & P. Berti lib. 31. Ampliari tamen

Ba-

Baptiſma non poterit *ad defunctos*; & Apoſtoli verba de illis, *qui baptizantur pro mortuis*, exponentur juxta plauſibiliores ſententias, quæ leguntur in Diſſert. Calmeti de hoc argumento.

Virtus, atque efficacia Baptiſmi negligendæ non ſunt, cum *figuris* Sacramentum aquæ in veteri Lege adumbrantibus, & cum *Joannis Baptiſmo*, quem audaciſſime Melanchton, Bucerus, Zuinglius, aliique, faciunt Chriſti Baptiſmati æqualem: perinde ac ſi *Præcurſio*, & ad pœnitentiam agendam cohortatio, complecterentur diffuſionem cœleſtis gratiæ, obtinendæ ab eo, qui baptizaturus erat *in Spiritu Sancto*. Ceremonias Baptiſmi diligenter exponunt Vicecomes, Caſalius, Martenius, & Chardonius, quibus addantur ex novatoribus Binghamus lib. XI., & Cavæus in *Chriſtianiſmo primitivo*. Ego quidem in votis habeo, ut diligens collatio fiat *Catechumenorum*, & quatuor Catechumenatus *graduum* ante Baptiſma, cum *Pœnitentibus*, eorumque *gradibus*, pruiſquam ab Eccleſia illi Sacramentum aquæ, iſti plenam reconciliationem obtinerent. Prodeſſe enim poterit comparatio hujusmodi diſciplinæ pœnitentiali, quam ſequenti anno proponam. Abſolutis Baptiſmi ceremoniis, Sancto Chriſmate, & Euchariſticis Symbolis donabantur in veteri Eccleſia novi fideles; & hanc conſuetudinem poſt Albaspinæum a Chardonio cap. 18. lib. 1. egregie diſcuſſam reperi. Ad eorumdem itaque Sacramentorum contemplationem progrediamur.

De Confirmatione eadem proponenda erunt doctrinæ orthodoxæ capita, quæ ventilata ſunt de Sacramento Baptiſmi. Verum, poſt expoſita nomina *Confirmationis*, ſive *Magni Chriſmatis*, quam operam a P. Berti diligenter navatam invenio, *Exiſtentia* Sacramenti ita ſtabiliri debet, ut appareat illud, nudam non fuiſſe apud veteres Baptismatis *ceremoniam*, quem-

ad-

admodum Binghamus; atque Cavæus inutiliter conantur evincere. Hoc *Sacramento* consummantur, sive roborantur fideles in christianæ vitæ proposito, medio etiam stigmate, & *sigillo indelebili*, quo declarantur milites Christi, cujus merentur stipendia, divini Flaminis unctionibus locupletata. Dubitari equidem posset de Confirmationis *iteratione* in hæreticis, qui adhibita manuum impositione, & chrismatione ad Ecclesiæ pacem admittebantur. Attamen adversus Sirmundum, atque Morinum, qui Sacramenti indolem, & prærogativas sibi visi sunt invenisse in hæreticorum ceremoniali reconciliatione, insurgunt agmine facto nostræ ætatis Dogmatici; & quamvis revertentibus ad unitatem imponerentur manus *in Spiritu Sancto*, facilis tamen & obvia erit animadversio, Divini Spiritus dona in evomentibus pravorum dogmatum venena reviviscere, nihilque differre a reconciliatione, quæ dabatur *in pœnitentiam*. Testimonia quæ diligenter collegit Binghamus cap 1. lib. XII. robur addent probatissimæ recentiorum sententiæ. Apud eumdem Acatholicum Scriptorem plura invenientur, sicuti de Baptismi, ita etiam de Confirmationis *ceremoniis*, de *Sponsoribus* utrobique adhibitis ex veterum ritu, & de Confirmationis *ministerio*, de quo contra Photium, aliosque Orientales legi poterunt *Animadversiones* Benedicti XIV. lib. VII. *de Syn. Diœcesana*.

Eucharistia, in qua omnium Christi beneficiorum summa colligitur *Sacramentum* est, simulque verum *Sacrificium*; quamobrem in duas partes segregandi erunt labores in hoc argumento subeundi. Si de *Sacramento* loquamur, post *Essentiam*, *Existentia* illius, sive *realis Christi præsentia* ostendenda erit, cum præsentiæ modo, videlicet *Transubstantiatione*, *Necessitate*, *Authore*, *Ministro*, *Subjecto*, *Effectibus*, & *Ceremoniis*, quæ tamen referri poterunt ad *Sacrifi-*

ci-

cium, ad quod pertinet Liturgiarum examen.

Nomina, quibus Sacramentum Eucharisticum designatur, plurima sunt, & post Lanfranchum *de Sacrif. Euch.* cap. 27. exponuntur a Tournely, Berti, Chardonio, Martenio, Binghamo, aliisque. In illius definitione, cum *Corpore*, & *Sanguine Domini*, locum habere debent *panis*, *vinique species*, ut in istis servetur ratio *mysterii*, in illis vero substantia *permanens* Sacramenti, distincta a simplici, & nuda *sumptione*, cujus gratia Calvinistæ blasphemant, quoslibet de mensa Domini participantes, Eucharistici muneris *ministerio* fungi. Panem *triticeum*, sive ille sit *azimus*, sive *fermentatus* materiam esse, ex qua præexistente *consecratur* Eucharistia, Latinis persuasum est, contra ejusdem materiæ corruptores, qui panem cum caseo, infantis membra & sanguinem, lac, mel, & prophaniores etiam substantias, loco Eucharistici *panis*, suos inter gregales distribuebant, & contra Græcos, qui cum Michaele Cerulario Latinis vitio vertunt, quod in *Azimo* Sacramentum, Sacrificiumque incruentum conficiant.

Perpetuum in Occidentali Ecclesia *usum* Azimi, ante recentiores Controversistas defenderant Mabillonius in Præf. *sæc.* 3. *Benedict.*, Macedo in *Disquisit. de rit. Azimi*, Lupus in *Actis S. Leonis* IX., Ciampinius in *conjecturis de perpet. azim: usu*, & Cabassutius *Dissert.* 12. *sæc.* II. Per octo priora sæcula panem fermentatum adhibitum fuisse a Latinis nititur demonstrare Sirmundus in *Dissert. de azimo* cum Card. Bona lib. 1. *rer. liturgic.*; & Azimo locum dedisse Latinos media ætate, quæ intercessit a Photio ad Cerularium, utriusque postremi Scriptoris opinio est. Priorem Mabillonii, aliorumque sententiam veritati proximiorem judico, eosdemque arbitror *Orientales* Eucharistiam in *azimo* consecrasse antiquiori ætate,

de-

desumpto exemplo a divina Sacramenti institutione. De hac controversia optime meruit Honoratus a S. Maria Tom. II. *animadvers. in reg. & us. Crit.* Neque sententiæ prioris jugulum petit *Fermentum*, quod ab Ecclesia Matrice ad inferiores, & suburbicarias Subdiaconorum, aliorumque Clericorum manu antiquitus deferebatur. Vocabulo enim *Fermenti*, quamvis non significarentur *Eulogiæ*, sicuti Baronius, & Binius arbitrantur, sed Eucaristica dona, quod Ant. Augustinus, Mabillonius, Lupus, & Card. Thomasius affirmant, & Tarsicii M. celebre factum suadet, adhuc pro certo haberi debet *Fermentum* vocem arcanam fuisse, qua conjunctio Fidelium cum Christo figurabatur.

Vinum ex uvis expressum, alterum est Eucharistici Sacramenti Elementum, cui religio vetat substituere alios liquores, quod antiquitus ob ignorantiam, recentioribus sæculis, ob novatorum malitiam contigisse querimur. Corruptorum Sancti *Calicis* nomina diligenter enumerat Thiers *Tom. II. lib. 3.*, una cum illis, qui *aquæ* cum vino commixtionem damnabant. Vossius Disput. 4. *de S. Mensæ Dom. Symbolis*, mentem exprimit Calvinistarum, qui ab *aqua* se abstinent. Perpetuam traditionem, præcepto Ecclesiæ stabilitam, nos sequemur, quamvis post vindicatam S. Cypriani sententiam, fateamur ad Sacramenti necessitatem non pertinere aquam, quæ *immediate* convertitur in Sanguinem Christi, qui vinum aqua temperatum adhibuit in ultima Cœna.

Exemplum Divini ejusdem Magistri inquirendum est in *Forma* Eucharisticæ institutionis. Hanc Formam, non *historice* solum pronunciandam cum Calvinistis, neque ampliandam cum Græcis, quibus Card. Bessarion, Allatius, & Arcudius contradicunt, protulit Christus Dominus, nobisque documentum exhibuit, ut sequamur exemplum illius. Non omnia sane

Evan-

Evangelica verba pertinent ad *essentiam* Formæ, sed illa, quæ referuntur ab omnibus Evangelistis, quæ non omittuntur in Liturgiis, & in quibus Ecclesiæ Patres Sacramenti *essentiam* reposuerunt. Virtute & efficacia *Formæ*, sive verborum, quibus Sacerdos *significative*, & *effective* illud operatur, quod in ultima Cœna peregit Christus, cujus legatione fungitur, personamque induit, præsens sistitur sub panis & vini speciebus idem Divinus Sacramenti Institutor, qui æternus *Sacerdos*, simul & *Victima* vocari debet.

Quamvis autem omnes, qui Christo nomen se dedisse gloriantur, *Realem Præsentiam* ejusdem Christi in Eucharistia fateantur, a veritatis tamen limine longius errant Acatholici, qui veterum Hæreticorum monstra ad vitam revocare conati sunt. Apud Arnaldum *in perpet. fidei*, Bossuetum *in varat. hist.*, Tournely, Thiers, Berti, Witasse, & Chardonium expositæ, discussæ, & refutatæ invenientur pravæ opiniones, ut clarius effulgeat lux veritatis, quam in quolibet sæculo reperit laudatus Scriptor *perpet. fidei*, cujus in hoc argumento labores eximiis laudibus sunt cumulandi. Nova documenta in *Tract. de Sacram. Altaris* proponit Harduinus, qui Basnagium, & Pfaffium spoliat authoritate Chrysostomi in *Epist.* ad *Cæsarium*, ubi visus est quibusdam, præsentiam metaphoricam reali substituisse. Quod vero *tota* panis vinique *substantia* convertatur, sive *transubstantietur* in Corpus & Sanguinem Christi, adversus Lutheranos, ejusdemque furfuris nebulones, a Scriptoribus Catholicis demonstratur, simulque ostenditur utrumque Mysterium supra humanæ rationis limites esse, non *contra illam* pugnare, sicuti Sociniani ausu improbo putaverunt.

De Eucharistici Sacramenti Divino *Institutore* statuendum est, comestum ab eodem fuisse Agnum Paschalem in anno suo emortuali; & concilianda erunt in-

inter se Evangelistarum testimonia, quod Lamy, Honoratus, Harduinus, Serry, & Graveson, præter Theologos præstant. Neque opus erit confugere ad sententiam Petavii, qui fautoribus Vossio, & Lupo, lib. XII. *de doctr. temp.*, atque in *not. ad Epiph.* opinatur, anno vitæ Christi postremo Scribas, & Pharisæos *praepost erum* Pascha celebrasse. Stante enim *legitimo Paschate*, Christus Dominus recubuit cum suis Discipulis in sui obitus pervigilio, videlicet in secundis vesperis diei 14. mensis Nisan, & in secunda cœna, quæ post Paschalem instruebatur, Eucharisticum Sacramentum instituit, deinde surgens a cœna, lavit Discipulorum pedes loco manuum, quæ a Judæis abluebantur, & accumbens iterum, bucellam panis Judæ tradidit proditori.

Idem Petavius in *diatr. de potest. consecrandi*, erudite & solide vindicat *solis Sacerdotibus* dignitatem & jus conficiendi, sive *consecrandi* Eucharistiam, quod est dogma fidei. Illius vero *dispensandi* officium, Diaconis antiquitus committebatur, contradicente nemine. Quod *offerendi* quoque licentiam *Diaconi* arripuerint, P. Sbaralea ostendere nititur, testimonio Conciliorum Arelatensis, & Ancyrani. Sed adversus eumdem ostensum fuit *oblationis*, & *consecrationis* vocabula expressa pro Diaconis, referri posse, & debere ad eorum *ministerium*, & ad Sanctorum munerum *distributionem*. In *Actis* MM. in Tract. S. Cypriani *de lapsis*, & in aliis Ecclesiæ monimentis apud Harduinum, Arcudium, & Binghamum, plura lector inveniet, quæ singularem afferent utilitatem.

Subjectum, atque *necessitas* Eucharistiæ, argumenta sunt minoris momenti; sed quæ de *Communione* sub *unica specie* ab Heterodoxis promoventur querelæ, prolixiorem inquisionem exposcunt. Si exempla illi nobis obtrudant, ad ostendendum *sub utraque specie* Fideles

Eu-

Euchariſtiam antiquitus accepiſſe, laterem lavant, quia Mabillonius *Præf. in* 3. *ſæc.* Boſſuetus in *Diſſert.* de hoc argumento, Martenius, & alii ingenue fatentur, Laicos de Divino etiam Calice participaſſe, eisdemque interdictum fuiſſe ſequiori ætate Calicis uſum ob graves cauſſas, quæ a Tridentino Concilio probatæ ſunt. Demonſtrandum propterea erit, neque *divinum præceptum*, neque *ſalutis* capeſſendæ *neceſſitatem* exigere, ut *ſub utraque ſpecie* Laici communicent: contrarium ſuadentibus, præter argumenta theologica, exemplis Fidelium, qui Eccleſia probante, unico panis Symbolo antiquitus reficiebantur. Inter *effectus* hujus Sacramenti principem locum obtinet *Gratia*, & incrementum illius. Inter *diſpoſitiones* vero numeratur *Jejunium*, quod ab Apoſtolica traditione dimanat. Me non latet in Corinthiorum Eccleſia, ſaturos ad ſanctificata dona Fideles acceſſiſſe. Verum Eccleſiæ illius diſciplina ſingularis fuit, neque concordi aliarum Eccleſiarum ſuffragio fulcitur. Boehmero, qui eruditam ſcripſit *Diſſertationem* de hoc argumento, & aliam de *Agapis* veterum Chriſtianorum, opponatur Thomaſinius in ſuo *Tract. de Jejuniis*, Albaspinæus *lib.* 1. *Obſerv. cap.* 18. cum Mabillonio. Novi Suicerum, Dallæum, ipſumque Eſtium *in cap.* XI. 1. *Corinth.* præmiſiſſe *Agapas* Synaxi, & Menſæ Dominicæ; ſed contra eos dimicant verba Plinii in *Epiſt. ad Trajanum*, Tertullianus qui elegantiſſimam Agaparum deſcriptionem inſeruit *cap.* 39. *Apologet.*, Antiquiora Concilia Africana, & alia vetera documenta, a quibus edocemur, quod in ſola feria quinta ante Paſcha, alicubi cœnæ convivales cœnæ Euchariſticæ præmittebantur.

Divinum Euchariſtiæ Myſterium cæteris Sacramentis præſtat, non ſolum propter realem Chriſti præſentiam, ſed etiam quia fructus quodammodo vocari poteſt *Sacrificii* Incruenti, cujus *Exiſtentia*, *Eſſen-*

sentia, *Minister*, *Subjectum*, *Effectus*, *Proprietates*; & *Ritus*, juvenum nostrorum notitiæ subtrahi non debent. Vera Religio suis semper *Sacrificiis* in lege *naturæ*, & in lege *Mosaica* gavisa est. Suum propterea lex Evangelica *Sacrificium* habet *Incruentum*, & *Latreuticum*, de quo legi poterunt cum Theologis Card. Bona in *libb. rer. liturg.*, Martenius, le Brun, & Chardonius. *Essentia* ejusdem Sacrificii in *Consecratione* collocanda est. Oblatio enim, quæ Consecrationi anteponitur, Divini Institutoris destituitur exemplo; & si subsequens Panis confractio non fieret, adhuc *ratio* Sacrificii persisteret. In Consecratione offertur *Victima* Deo, ex Tertulliani, Irenæi, & Chrysostomi sententia; atque *immutatio mystica* peragitur Corporis, & Sanguinis Christi, virtute verborum Ministri. Cum tamen Corpus, & Sanguis Christi exibeantur sub speciebus panis, & vini, videlicet cibi, & potus, ideo Consecratio earumdem, volente Deo, ordinatur ad consumptionem, tamquam ad terminum, & finem *extrinsecum* essentiæ, sed intrinsecum *integritati* Sacrificii.

Opportunum hic erit verba facere de *Liturgiis*, ut appareat, quanam polleant *authoritate*, & *antiquitate*. Plura de Liturgiis scripserunt Pamelius, Menardus, Casalius, Card. Bona, & Thomasius, Mabillonius, Muratorius, & Georgius; atque ex novatoribus Cassander, Clarksonus, & Bohemerus. Recedendum non arbritor ab Euseb. Renaudotio, & Pet. le Brun, qui Tomo præsertim 3. plura utilissima versat ad sacras Liturgias pertinentia. Claudius de Vert in sua *Expositione literali ceremoniarum Missæ*, oleum perdit & operam; &ejus loco lectionem suadeo *Observationum* Jos. Vicecomitis, & Gabr. Albaspinæi.

An-

Annus Nonus

DE SACRAMENTIS POENITENTIAE, *Extremæ Unctionis*, *Ordinis*, *& Matrimonii*

MUltiplex Dei Misericordia non in solo Baptismate, in Confirmatione, & in Eucharistia elucet, quibus Sacramentis regeneramur, fortiores reddimur, atqe pascimur pro æternæ Vitæ, Regnique cœlestis assecutione, sed in aliis etiam Sacramentis manifestatur, & cumprimis in *Pœnitentia*, qua Christus Dominus rebellium filiorum conditionem misertus, manum lapsis voluit porrigere post ruinam, & exhibere tabulam post naufragium. De hoc igitur saluberrimo Sacramento, & necessario errantibus post Baptismum remedio, plura investiganda erunt, videlicet *Existentia*, *Essentia*, & *Partes*, quæ sunt *Contritio*, *Confessio*, *& Satisfactio*, *Forma*, sive *Absolutio*, *Minister*, *& Effectus*, quibus expensis, *pœnitentialem* Ecclesiæ Veteris *disciplinam*, & catholicum dogma de *Indulgentiis* meis aliquando auditoribus tradidi.

Et primo quidem varia, & probata Pœnitentiæ *nomina* debent exponi, juxta diversam græci, latinique idiomatis etymologiam, ut appareat, præter novitatem vitæ, pœnam, sive punitionem assumi debere a pœnitente in scelerum patratorum vindictam, contra Dallæum, qui ex Lutheri mente homines liberat a quocumque pœnalis satisfactionis debito. Atque ut nitidius indoles & natura Pœnitentiæ repræsentetur, de

Virtute Pœnitentiæ verba fiant, & discrimen illius *Sacramento Pœnitentiæ* proponatur.

Ejusdem Sacramenti *Existentia* pluribus heterodoxis stomachum movet. Lutherus parum sibi constans, quod prius Sacramentum admiserat in libro *de captiv.*, deinde negavit, *contra Lovan.* In *Apologia Confess. Augustan.* Pœnitentia inter *Sacramenta* locum habet, & quidem in sensu catholico, ut opportune animadvertit Witasse, penes quem leguntur artes, & fallaciæ Lutheranorum, simulque audacia Zuinglii, & Calvini, qui aperta fronte a Sacramentorum numero expunxerunt *Pœnitentiam*. Post Morinum Jueninus, Rei Sacramentariæ Scriptor, Berti, & Chardonius de *Montanistis* affirmant, quod graviora delicta, Ecclesiæ judicio, & potestati subduxerint, relicto *Lapsis* arbitrio implorandi pacem a Deo, sicuti colligitur ex Tertulliano in lib. de *pudic.* cap. 3. *Novatus* Afer Montanistarum filigine tinctus, cum Romam adventasset, *Novatianum* fautorem nactus, cum Idololatris communicandum non esse statuerunt; cumque intellexissent ex catholicorum oppugnationibus, *Idololatras* a *Mœchis*, *Homicidis*, aliisque sceleſtioribus hominibus separari non posse, a schola Stoicorum novum errorem in suæ hæreseos præsidium transtulerunt, affirmando delicta quælibet esse *æqualia*, & veniam ab Ecclesia mereri non posse, quam duriorem sententiam ut emollierent, concesserunt Ecclesiæ potestatem relaxandi leviora crimina. Hæc traduntur a SS. Philastrio, Ambrosio, Paciano, & a Theodorito, eaque animadvertenda esse censui, pro ampliori cognitione eorum, quæ inferius ventilari debent. De vetustioribus Pœnitentiæ *adversariis* disserit Tournely, cui præcesserunt pro hæreticis mediæ ætatis Thom. Valdensis *Tom.* 2. & pro novatoribus sæculi 16. Bossuetus in *hist. variat.* lib. XI.

Pro-

Probanda itaque erit *Existentia* Sacramenti Pœnitentiæ, instituti pro abolendis criminibus baptizatorum, etiam gravissimis, simulque ostendendum erit, discrimen *Baptisma* inter & *Pœnitentiam* intercedens. In hac autem, non solum *declaratur* peccata remitti, sed vera & propria fit illorum *solutio*, & *condonatio* per actum *judicialem* Ministri, cui cœlorum claves traditæ sunt a Christo Domino. Post suam ille ab inferis Resurrectionem, salubre hoc mysterium instituit, quando Apostolis *ligandi*, & *solvendi*, a peccatis largitus est potestatem, cui necessarium est ut subjiciantur omnes, qui innocentiæ stolam in lavacro regenerationis acceptam, maculaverint. Argumenta a *Novatianis* disseminata Theologorum ingenia vexant, atque illud præcipue de *blasphemia* in Spiritum Sanctum, quæ *irremissibilis* dicitur in hoc, & in altero sæculo. Jo. Morinus lib. 9. *de Pœnit.* hoc unicum crimen a S. Ambrosio subtractum fuisse scribit ab Ecclesiæ clavibus, & potestate; verum PP. Maurini in *notis* ad Opera Ambrosii, contrarium probant. Hoc argumentum præter Morinum luculenter prosequuntur Nat. Alexander *Dissert.* 22. *Sæculi III.* & Calmetus *Dissert. de blasph. in Sp. S.*

De Pœnitentiæ *Materia*, quæ in multiplici significatione assumitur a Scholasticis, legi poterunt Witasse, & Rei Sacramentariæ Scriptor. Diligenter Jueninus, & Tournely explanant singula, quæ catholicæ doctrinæ de *Contritione* præmittenda sunt. *Contritio perfecta*, cum Sacramenti percipiendi proposito, reconciliat infallibiliter impium hominem Deo. Hanc *perfectam Contritionem* necessariam esse æstimatum fuit a Theologis magni nominis, numeratis ab eodem Witasse, cuius in hoc argumento labores haud negligendi erunt. A nobis tamen absoluta illius necessitas cum sit excludenda, fiet locus *Attritioni*, cujus nomen, cum ti-

more, qui ad Attritionem utilem disponit, accurate expendatur. Ego quidem in *Attritione*, ut medio Sacramento justificationem operetur, *amorem* aliquem *initialem* exigo, cum Theologis gravissimis; quia si in peccato *creaturarum amor* prædominatur, operæ pretium est, ut in conversione cordis ad Deum, *amor Dei* prævaleat. *Amoris initialis* necessitatem solide propugnatam invenio a Witasse, & a P. Berti, a quibus ostenditur amorem *Attritionis* ad *charitatem* revocandum esse, non ad *concupiscentiam*, sive cum Tournely ad amorem *spei*, quo nostræ utilitatis intuitu, diligitur Deus.

Confessionem, sive manifestationem criminum, quæ a Græcis *Exomologesis* vocata est, novatores cane pejus & angue repellunt, quamvis Morinus lib. 9., & Huetius in Alnetanis ostenderint, Judæos, & Gentiles ab ea non abhorruisse. Dogma illud est Catholicæ Ecclesiæ a Christo institutum, & a quolibet sæculo firmissime custoditum. Dallæus, qui PP. testimoniis abutitur, ut incautis sua propinet venena, celebri etiam gloriatur facto *Nectarii*, in cujus expositione tot fere invenientur sententiæ, quot capita. Thom. Valdensis, & Melch. Canus, qui a Nectario putant *antiquatam* fuisse *Confessionem Sacramentalem*, manus victas videntur tradere Calvino & Dallæo. Bellarminus, & Petavius, *sublatam* fuisse scribunt *publicam Pœnitentiam* & parum ab eisdem distat *lib.* 34. *part.* 2. P. Berti, qui in testimonio Socratis, celebrem Nectarii historiam narrantis, sibi visus est invenisse vadem suæ illustrationis. Morinus *lib.* 2. *cap.* 9. fidenter affirmat *abrogatas* simul fuisse a Nectario *publicam Pœnitentiam*, *pubblicamque* occultorum criminum *revelationem*. Adhærendum ego ipse censeo Tournely, Witasse, Rei Sacramentariæ Scriptori, & Chardonio, qui publicam Pœnitentiam sublatam non fuisse, legitime infe-

runt

runt ex eorum temporum disciplina, sed *publicam peccatorum manifestationem*. Argumentis quibus seipsos tuentur Theologi, quos nominavimus, hoc addere plaplaceat: Nectarium de medio illud abstulisse, quod, referentibus Socrate, & Sozomeno, scandalo dederat occasionem. Publica Pœnitentia sponte etiam assumebatur, crimenque reddebat incertum. Audientium aures lædere debuit *publica Confessio* nobilis Fœminæ, quæ se stupri consuetudinem habuisse cum Diacono testata est. Presbiter itaque *Pœnitentiarius*, cujus officium, *abrogavit* Nectarius, *publicis Confessionibus* præerat, non privatis, quas per contemptum Acatholici vocant *auriculares*. Verba Socratis, & Sozomeni huic solutioni manifestissime favent.

Propositis deinde *conditionibus*, a quibus Confessio *sincera*, & ad criminum expiationem *utilis* redditur, de *Secreto*, sive de *Sigillo* Confessionis verba habeantur. Morinus *lib.* 2. *cap.* 9., & Chardonius *lib.* 1. *cap.* 4. ostendunt, primis Ecclesiæ temporibus, peccata in publicis Christianorum cœtibus frequenter revelata fuisse. Verum, neque a Divinis Literis, neque a Traditione erudimur, de publicæ Confessionis *necessitate*; quin etiam Jure Naturali, Divino, & Ecclesiastico *vetantur* Pœnitentiæ Ministi Fidelium crimina manifestare. Ab eisdem Morino, & Chardonio exempla proferuntur *Confessionum per Epistolas*, de quibus accurate disserit Witasse *quæst.* 4. in qua plura invenientur de *nutibus*, aliisque *signis* linguæ officio fungentibus.

Satisfactionis necessitatem, novatoribus invisam, in clariorem deduxit diem Concilium Tridentinum, cujus doctrinis adhærendum est, ut demonstretur, relaxata cum reatu culpæ *pœna æterna*, adhuc luendam superesse *pœnam temporalem*, quæ a Pœnitentiæ Ministris irrogari potest, ac debet, servata *æqualitate* illius, cum delictorum malitia, & gravitate.

Eiſdem Sacramenti Miniſtris ab Eccleſia exhibetur *Forma judicialis*, proferenda in peccatorum dimiſſione. Ante Sæculum XII. inveniuntur plura exempla *Formæ deprecativæ*, quam retinent Orientales, atque etiam *imperativæ* in Sacramentariis Gelaſii, & Gregorii, & in teſtimoniis Patrum, authumantium, quod *Miniſtri rogant*, & *Divinitas donat*. A Sæculo XIII. invaluit *Forma indicativa*, quæ a Tridentina Synodo novam firmitatem obtinuit. Formæ proferendæ, & pœnitentialis Judicii exercendi *poteſtas*, ſolis conceſſa eſt *Sacerdotibus*; quamobrem *Exomologeſis* apud Diaconum facta, de qua loquitur Cyprianus, externa erat, & *ceremonialis* reconciliatio, a *Sacramentali* abſolutione ſecernenda, quod animadvertit Benedictus XIV. *de Syn. Diœc. lib. 7. cap. 16.* Pœnitentiæ *ſubjectum* ſunt omnes homines, qui poſt Baptiſmum in peccata labuntur, a Miniſtrorum Eccleſiæ judiciali poteſtate auferenda. Hæc judicialis poteſtas toties *renovari* poteſt, quoties neceſſitas poſtulet, ut condonetur pœna æterna, deponantur peccatorum ſordes, merita, & bona opera *reviviſcant*.

Quænam vero fuit Eccleſiæ veteris diſciplina in *concedenda* lapſis *Pœnitentia*, & Abſolutione? Quarto, & ſequentibus ſæculis, cuicumque *graviſſimo* ſceleri aditus patuit ad Pœnitentiam in Catholica Eccleſia. Petavius *ad hæreſim* 59. *Epiphanii*, vetuſtiora tempora ſegregat: ab Apoſtolorum ævo ad Zephyrini ætatem, in qua Tertullianus ſcripſit: & a Zephyrino ad Conſtantinum Auguſtum. Antiquiſſima primi temporis diſclipina, Petavio docente, non patiebatur, ut graviorum criminum rei, *Apoſtatæ*, *Adulteri*, *Homicidæ*, reconciliationem ab Eccleſia obtinerent. Zephyrinus *mœchis* indulſit, ut a publica Pœnitentia non repellerentur, quæ conſuetudo ſenſim *ad alia crimina* propagata eſt, dummodo in extremo vitæ diſcrimine,

Ecclesiæ pacem impii homines non imploraſſent. Albaſpinæus *lib.* 2. *Obſervat.* Petavii ſententiam pluribus argumentis confirmat, & rigidiorem primi temporis diſciplinam, protrahit ad S. Cypriani ætatem. Albaſpinæo præiverat Sirmundus in *Hiſt. Pœnit. publ.*; & ab eisdem non diſſentit Card. Bona *lib.* 1. *Rer. Liturg. cap.* 17. Ex novatoribus Binghamus *lib.* 18. *cap.* 4. Fellius ad 8. *Epiſt.* Cypriani, & Moshemius in *part.* 2. *ſæc.* I. *Inſtitut. Hiſt. Chriſt.* Petavio adhærent. A Petavii, & Albaſpinæi ſententia declinavit Lupus, qui *ad Can.* 13. *Nicæn.* aſperiorem diſciplinam pro *Mœchis*, imminutam fuiſse ſcribit a Zephyrino, & ſublatam a SS. Cornelio, & Cypriano pro illis, qui Pœnitentiam Canonicam obiviſsent. Morinus *lib.* 9. *cap.* 20. Romanam, Carthaginenſem, & Orientales Eccleſias cuilibet crimini veniam perpetuo conceſſiſſe probat; eidemque ſuffragantur Nat. Alexander, Tournely, Witaſſe, Juenin, Card. Orſi, Berti, & Chardon, cujus tamen mentem aſſequi, mihi non licuit. Fateamur tamen neceſſe eſt, Eccleſias aliquas adeo *immites*, & *immiſericordes* fuiſſe, ut neque extremis lapſorum lacrymis, & ſingultibus mollirentur: quod ex teſtimoniis Tertulliani, Cypriani, & Concilii Eliberitani, aliorumque Conciliorum reſultat. *Severiores* Epiſcopos dicendum tamen non eſt, Novatianorum luto adhæſiſſe. Illis perſuaſum erat, poteſtatem Eccleſiæ ad *ſolutionem* quorumcumque criminum *extendi* poſſe, quod inficiabantur Novatiani; ſed opportuna viſa non eſt eisdem atrociorum delictorum condonatio, non *deſperatione indulgentiæ*, ſed *vigore diſciplinæ*, ut verbis utamur S. Auguſtini.

De *Origine* Publicæ Pœnitentiæ, opus eſt nonnulla proponere. Pulcherrimum hoc Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ caput illuſtrandum acceperunt, Sirmundus, Petavius, Albaſpinæus, Morinus, Martenius, Fileſia-

 cus,

eus, aliique plurimi; & in eadem palæstra se exercuerunt Cavæus, Binghamus, & Suicerus, qui tamen Calvinianum venenum spargunt, & qui a viris emunctæ naris caute legendi sunt. Apud eosdem Scriptores ortus invenientur, & progressiones Publicæ Pœnitentiæ, ab Apostolorum temporibus, usque ad Sæculum XIII., quo illius mentio cessat; quamvis Trid. Concilium hortetur *Sess.* 24, in atrocioribus quibusdam delictis, ut *imponatur* Publica Pœnitentia. Numerentur deinde *quatuor* Pœnitentiæ *Gradus*, sive *Stationes*, quibus, utrum *quintus Gradus* additus fuerit, me aliquando dubitasse fateor. *Quintam* Bellarmini, & Cavæi *Stationem* rejicio; sed pro *Hyemantibus*, & *Energumenis*, qui excludebantur etiam ab Ecclesiæ porticu, & sub dio manere jubebantur, in Christianorum cœtibus antelucanis, diversum, *primumque Gradum* arbitror constitui posse. Recenseantur deinde *ritus*, & *ceremoniæ* adhibitæ in Publica Pœnitentia, & in Pœnitentium reconciliatione; & ad examen revocetur Pœnitentia *Clericorum*, quibus post IV. Sæculum pœnæ servatæ sunt, distinctæ a Pœnitentia Laicorum. *Depositio* pœna erat gravissima Clericorum, qui redigebantur etiam ad *Communionem Laicam*, & *Peregrinam*, quæ vocabula ansam dederunt pluribus expositionibus, quas diligenter scrutantur Albaspinæus, & Binghamus. Proponantur denique *crimina* obnoxia Publicæ Pœnitentiæ, & de *iteratione* illius verba fiant.

Communis Theologorum sententia est, ab exordio Pœnitentiæ Publicæ, usque ad Sæculum VII. *non iteratam*, sed *semel* concessam fuisse eamdem Pœnitentiam, quod cum Sirmundo, Petavio, Morino, & Martenio poterit demonstrari. Si tamen Pœnitentes in eadem crimina *relapsi fuissent*, a *veniæ* assequendæ, *pacisque* obtinendæ spe, penitus excludebantur? Respondent Theologi, *privatæ Pœnitentiæ* remediis, eisdem re-

relapsis consuli consuevisse ab Ecclesia. Instat tamen Petavius, & *privatæ* huic *Pœnitentiæ* opponitur, quia homines gravioribus pœnarum flagellis cruciandi, mitiorem sortem experti fuissent illis, qui *prima vice*, Christianum nomen, quod profitebantur, maculaverant. Validissimo huic Petavii argumento neminem invenire potui, qui plene satisfaceret. Illius solutionem deducendam arbitrarer, a latissimo *discrimine*, quod ex mente Patrum intercedebat Publicam inter, privatamque Pœnitentiam. Nisi prorsus desipiam, censuerunt Ecclesiæ Patres, quod per arduam, luctuosam, & laboriosissimam *Pœnitentiam*, in facie totius Ecclesiæ peractam, ita satisfieret Deo, qui claves cœlorum tradidit præsertim Episcopis, Pœnitentiæ veteris moderatoribus, ut *nihil luendum* superesset, etiam quoad pœnas temporales. Aequiparantur enim duo Sacramenta Baptismus, & Pœnitentia, *iidemque* utrique *effectus* tribuuntur ab Herma *lib.* 2. *Pastoris*, *Mandato* 4., a Tertulliano *de Pœnit. cap.* 7. a Clem. Alexandrino *lib.* 2. *Strom* & ab aliis; & quemadmodum *non iteratur* Baptisma, ita constanti lege *non iterabatur* Publica Pœnitentia, monentibus Patribus cum Ambrosio de Pœnit. *cap.* 10. *sicut unum Baptisma*, *ita una Pœnitentia*. Hanc fuisse mentem Ecclesiæ deduci etiam potest ex Gradibus *Pœnitentium*, qui Gradibus *Catechumenorum* assimilabantur, quamvis purgatio istorum mitior foret purgatione Fidelium, qui *semel in* Baptismate *illuminati* assumptam innocentiæ stolam maculassent. Utrique laborabant, quoadusque evasissent *perfecti*, & consummationem Christianæ vitæ accepissent in Eucharistia, quæ cum utroque Sacramento conjungebatur.

Relapsi privata Pœnitentia purgabantur ab Ecclesiæ Ministris imposita, sive sponte suscepta. Relinquebantur tamen Relapsi non judicio Ecclesiæ, sed *judicio Dei*, cui erat satisfaciendum, & quidem pœna

gra-

graviore, quam ob *repetita* crimina merebantur. Ex hac solutione sequitur *satisfactio*, etiam alterius vitæ, ex mente Patrum, & novo veluti argumento fulcitur Existentia *Purgatorii*, cum *Indulgentiarum* communicatione. Ecclesiæ enim Rectores, non unius *pœnæ temporalis* Judices a Deo renunciati sunt, sed etiam *compensationis* acceptandæ, & Satisfactionis alienæ erogandæ in solutionem pœnæ, & in criminum purgationem. Hæc *compensatio* locum semper habuit in Ecclesia, pro imminutione, & condonatione Pœnitentiæ Publicæ, sicuti evidenter infertur ex *Libellis*, qui a Martyribus offerebantur pro *Lapsis*, & efficax est in *Pœnitentia Privata*, pro minuendo onere pœnæ temporalis in præsenti aut in futuro sæculo persolvendæ. Intelligitur itaque admittendas esse *Indulgentias*, earumque *Thesaurum*, cujus *Existentia*, *Ministri*, *Subjectum*, & *Caussæ* demonstrari debent. De Indulgentiis peculiarem Maldonatus, & absolutissimum *Tractatum* edidit Theodorus a Spiritu Sancto.

Extremam Unctionem Sacramenti nomine, & charactere spoliare aggressi sunt Waldenses, Albigenses, Wiclefitæ, Hussitæ, Lutherani, & Calvinistæ. Eberardus *contra Waldenses cap.* 11. Alanus *lib.* 1. *contra hæreses*, Conc. Constantiense *Sess.* 8. & Polemici omnes de impio hoc hæreticorum ausu nos reddunt certiores. Quæ ab adversariis argumenta excogitata sunt, improbo labore prosequitur Dallæus *in lib. de Extr. Unct.*, ubi evertere tentat dogma catholicum de Sacramenti *existentia*, & deinde opponitur *Ministro*, *Effectibus*, & *usui* illius. Ostendenda itaque erit Sacramenti *Existentia*, præmissa inquisitione *Nominum*, quibus in utraque Ecclesia *Sancti Olei* Mysterium designatum est. Apostoli Jacobi *verba* illustrari debent, una cum *Epistola* Innocentii I. ad Decentium, in qua plurima invenientur ad Fidei depositum, & ad veterem Romanæ

impri-

imprimis Ecclesiæ disciplinam spectantia . De *Oleo*, & *Unctione* legantur Menardus *in Sacrament. S. Gregorii*, Morinus *lib. 8. de Pœnit.* Martenius, Goarius *ad Eucholog.*, Berti , & Chardonius, qui *lib. 3.* plura exhibet ad refutandum Dallæum opportuna . Ab eisdem Scriptoribus differitur de *Forma* , quam *deprecativam* esse apud Græcos ostendit Allatius . Utrum vero in sola *graviori* infirmitate , vel etiam *sanis* , & bene valentibus ministrari possit , scrutantur cum eodem Allatio Goarius , & Chardonius . Renaudotius *de perpetuit. Fid. lib. 5. cap. 3.*, disciplinæ patrocinatur apud Græcos , & alios Orientales diffusæ , ungendi Fideles *incolumes* post *infirmos* , ita tamen ut Sacramenti *ratio* solos *infirmos* respiciat .

Quod ante *Viaticum* periclitantes de vita *Sancto Oleo* ungerentur , affirmant Launojus *de Extr. Unct.* , Mabillonius *in Præf. 3. Sæc. Benedict.* & Chardonius *cap. 2.* Antiquitus non expectabantur pro *Sacramenti* susceptione ultima morientium suspiria . In *Clinicis* vero *Sancta Unctio* cum cilicio , & cinere conjungebatur , quam disciplinam discussam invenio a Chardonio *cap. 5.* Tandem circa Sacramenti *Ministrum* exponenda sunt verba S. Innocentii , qui visus est *Laicis* quoque impertiri Sancti Olei *ministrationem* . Tillemontius hunc nodum insolutum reliquit ; sed idem Chardonius felici labore , *obscura* Innocentii *verba* , accomodat veterum temporum disciplinæ .

Cœlestium vero bonorum, quibus *suprema Unctio*, & alia quælibet Sacramenta redundant , participes redduntur Fideles ministerio Sacerdotum , pro quorum inauguratione novum *Sacramentum* institutum est , quod *Ordo Sacer* dicitur , sive *Sacra Ordinatio* . Huic Sacramento sedulam operam navare debent nostri tyrones , qui clericali militiæ nomen dedere , quique in *duas partes* hanc *Dissertationem* distribuent . In *priori Parte* illu-

illustrabuntur *Nomina* ad Sacras Ordinationes pertinentia, cum Ordinationum *oppugnatoribus* . 2. proponetur, & vindicabitur *Hierarchia Ecclesiastica* constituta a Deo . 3. ostendetur Sacram Ordinationem *verum* esse, verique nominis *Sacramentum* . 4. dividenda est Sacra Ordinatio in suos *Gradus* . 5. designentur *Materia* , & *Forma* Sacrorum Ordinum . 6. vindicanda est Christo Domino *immediata institutio* Presbyteratus , & Diaconatus , *mediata* vero pro aliis Ordinibus . 7. de *Ministro* . 8. de *Subjecto* , ejusdemque *dispositionibus* . 9. de *Effectibus* . 10. de *Ritibus* , & *Ceremoniis* Sacramenti Ordinis verba fiant . Ad alteram *Partem* pertinet examen primæ *Tonsuræ*, & quorumlibet Ordinum, usque ad *Episcopatum* , addita Appendice de *Cœlibatu* , & de aliis *conditionibus* Clericorum .

Investiganda itaque primum erunt *Nomina Ordinis* , & *Manuum Impositionis* . Quicumque per illam , etiam antiquitus promoti fuissent , *Clerici* vocabantur, non ratione Sortium ut affirmat Dodwellus *Differt* 1. *Cyprian.* , sed quia in *sortem* , & in *hæreditatem* Domini commigrabant , quæ Hieronymi sententia est ; & quamvis S. Mathias ad Apostolatus apicem *datis sortibus* evectus fuerit , paucissima tamen alia invenientur exempla , inter quæ locum habet *Canon* Concilii Barcinonensis Anni 599. , qui Dodwelli diligentiam fugit . De eisdem *nominibus* disputant Hallierus , & Morinus *de Sacr. Ordinat.* Martenius , Witasse, atque ex Acatholicis *lib.* 4. Binghamus . Ostendi deinde opus est *Existentiam* Ordinis assumpti pro *Ecclesiastica Hierarchia* , segregante ex Divina Institutione Ecclesiæ Ministros a Laicorum *gradu* , qui *Hierarchico* inferior est . Adversabantur huic *Dogmati* hæretici quidam II. sæculi , qui Laicis *Sacerdotalia munera* committebant . Wiclefitæ , & nostrorum temporum novatores Divinæ , & ipsi dispositioni resistunt , quando omnes *æquali-*

qualiter, & indiscriminatim *Sacerdotes* esse comminiscuntur, & quempiam e trivio ad *Ministerium* evehunt, & pro libito in Laicorum ordinem iterum redigunt. Eadem hæc consuetudo damnari debet in Puritanis, & in Maniacis qui Tremiscentes in Anglia vocantur, apud quos Ministerium a præsumpta *superni luminis* illustratione dependet, ut vocari possint ad exercitium illius etiam *Fœminæ*, sicuti scribit eorum Apologista Barclajus *Thesi* 10. Quicumque *Hierarchiam* negant, illi etiam a Sacramentorum albo *Ordinem* expungunt, non tamen constanti doctrina, uti videre est apud Io. Bapt. Thiers, Hon. Tournely, Casp. Juenin, & Laur. Berti.

Postquam igitur demonstratum fuerit *Sacram Ordinationem*, qua inaugurantur & consecrántur Ecclesiæ Ministri, verum esse propriumque Legis Evangelicæ *Sacramentum*, de *numero* Ordinum in Latina, & in Græca Ecclesia disputatio instituatur. *Septenarius* Ordinum numerus apud Occidentales, nititur testimonio S. Cornelii, & aliorum Romanorum Pontificum, quibus additur Concilium IV. Carthaginense. *Psalmistæ*, *Cantores*, *Copiatæ*, sive *Fossarii*, *Parabolani*, & *Catechistæ* Officiis fungebantur, quibus *Veri Ordinis* nomen aptari nequit. Quæ de eisdem Officiis scripserunt Morinus, Martenius, & Binghamus præteriri non debent. *Minorem* Ordinum *numerum* Græcos habuisse, nemo omnium ignorat, & de illis consulantur, præter Morinum, Goarius *in Euchologio*, Mabillonius, qui de Gradibus Ecclesiæ utriusque plura tradit *in not. ad sæc. I. & III. Benedict.*, & Dogmatici fere omnes. Hoc Orientalis disciplinæ caput mihi investiganti, occurrerunt Ricautius in *hist. Eccl. Græc.*, & la Croze in *hist. Christan. Indiar.* & *Armen.*, qui conantur nodos nectere, & tenebras diffundere, contra utriusque Ecclesiæ disciplinam; sed nullius erunt autho-

authoritatis Neſtoriani, & Jacobitæ, ſive Monophyſitæ Orientales, qui ab Orthodoxæ veritatis fonte ſegregati, aquam turbidam bibunt, & fabulis ingenuam Eccleſiæ faciem commaculant.

Impoſitio manuum Materia Eſſentialis Sacrarum Ordinationum æſtimanda eſt. Verum in Eccleſia Latina *Inſtrumentorum porrectio* neceſſario adhiberi debet, veluti pars, & *materia integrans* eaſdem Ordinationes. Hoc ipſum affirmetur de *Forma*, ſive de *Verbis* Epiſcopi manus imponentis, & porrigentis Inſtrumenta. In Orientali Eccleſia, Morino teſte, *Inſtrumenta* traduntur, ſed abſque ulla verborum formula, & poſt abſolutam ſacram Ordinationem. Presbyteratus, & Diaconatus *immediata* Chriſti Domini *inſtitutione* gloriantur; Subdiaconatus, & alii Ordines inferiores qui a Diaconatu, tamquam a fonte rivuli, ſcaturiunt, *mediate* a Chriſto, & *immediate* conſtituti ſunt ab Eccleſia, cujus Rectores atque Paſtores, *Epiſcopi* ſcilicet, Ordinationum *Miniſtri* cenſeri debent, in caſſum obſtrepente Calvino. Poterunt propterea *Presbyteri* deputari pro collatione Subdiaconatus, minorumque Ordinum, non tamen pro Diaconatu; quamobrem falſitatis vitio laborare dixerim *Diploma* Joannis VIII. pro Monachis Ciſtercenſibus datum, de quo Morinus *Exercit.* IV. *cap* 3.

Quæcumque de *Miniſtro legitimo*, atque de *Effectibus* Sacrarum Ordinationum, & præſertim de *charactere* proponi opus eſt, penes Theologos invenientur. *Iteratas* fuiſſe Sacras Ordinationes, quarum Miniſtri *Hæretici* fuiſſent, & *ſimoniaci* Morinus exiſtimat, pluraque nobis obtrudit exempla, quæ tamen in ſuam nos ſententiam pertrahere non poterunt. Recedendum ſane non erit a Tournely, Witaſſe, & Berti, qui cominus cum Morino congrediuntur; & quamvis P. Sbaralea novas vires Morino ſuppeditaverit, in ſuo

Libro

Libro *de sacris pravorum Ordinationibus*, nihili tamen ducenda esse illius argumenta, arbritror me ostendisse in ejusdem Libri *recensione*. Locus hic etiam fieret Ordinationibus *Ecclesiæ Anglicanæ*, videlicet Matthæi Parkeri, aliorumque, qui ad Episcopale fastigium cum Parkero promoti fuerunt. Hanc tamen historicam controversiam dirimendam relinquo P. le Quien, qui latuit sub nomine Stephani de Altamura, cui contradicit Curajerus.

Solum *Hominem Viatorem* Subjectum esse Sacrarum Ordinationum, testatur Fides, excludens *Fœminas* a sancto Altaris ministerio, & diris devovens Collyridianos, aliosque antiquioris ævi nebulones, repressos ab Epiphanio, & ab Augustino. Neque ad sanctum Altare accedebant Mulieres *Episcopæ*, & *Presbyteræ*, neque ipsemet *Diaconissæ*, quarum opportunum erit scrutari originem, & officia. Fabulas inter aniles, amandari etiam poterit Joanna Papissa, quam in Petri Cathedra *numquam* sedisse, eisdem Acatholicis contra Salmasium persuasum est. Judicium quoque ferendum erit de Ordinationibus collatis *Infantibus*, *Amentibus*, & *Invitis*, & ultimo proponentur *dispositiones*, quæ in Subjecto requiruntur, cum ceremoniis quæ in ministerio Sacrarum Ordinationum frequentantur ab Ecclesia Catholica.

De Sacris Ordinibus *singillatim* acceptis, opus etiam est verba fieri, sumendo initium a *Clericali Tonsura*, de qua erudite loquuntur Morinus, Thomasinus, Martenius, & Hallierus. Ejusdem *Institutio* in primis sæculis videtur inquirenda non esse, quando Fidei persecutoribus, externa quælibet Christianæ professionis, & Ecclesiasticæ dignitatis indicia, occultabantur. *Minores Ordines* a Sacramentorum numero, & amplitudine arcendos esse affirmant Morinus 3. *part. Exercit.* 11., Nat. Alexander *de Ord. cap.* 1. *art.* 4.

art. 4. Jueninus *quæst.* 7. aliique plures, quibus assentiri placet, si Minores Ordines *singulariter* accipiantur. Quæ fuerint in veteri Ecclesia Clericorum *Officia*, quotiescumque Minoribus Ordinibus insigniti fuissent, accurate exponunt Morinus, Martenius, & Chardonius. Dubia quædam oriri poterunt de *Exorcistis*, a quibus Dæmones torqueri Tertullianus, & Cyprianus affirmant. Valesius, & Gothofredus apud Binghamum arbitrantur a Clericis Exorcistis adjuratos fuisse *Cathecumenos*. Falluntur tamen Viri Cll., nam *Exorcismi Catechumenorum*, quibus addendos censeo *Exorcismos Pœnitentium* a Baptismi, & Pœnitentiæ *Ministris* peragebantur.

Neque ipsum *Subdiaconatum* vera inter Sacramenta reponerem, ex eo præsertim, quod destituitur constanti sensibili *signo*, cui Deus gratiam suam alligavit, quæ plurium Theologorum sententia est. Nihilominus magno in honore haberi debet *Officium* vetustissimum in utraque Ecclesia, & cui irrevocabile *Castitatis* propositum conjunxerunt Latini. Urbanus II. *Sacros* inter *Ordines* numeravit Subdiaconatum, non tamen inter Sacramenta, sicuti evidenter probat, cum aliis Theologis Witasse *quæst.* 4.

Diaconatus, & *Presbyteratus* Hierarchici Ordines sunt, verique nominis Sacramenta, de quibus Ecclesiasticos Scriptores disserentes, ardua res foret enumerare. Quæ a Dogmaticis de utroque sublimi *Gradu* traduntur, obvia cuilibet, & familiaria silentio præteream. Utilissimum erit inquirere, veterumque Patrum testimonio confirmare, ad quæ munera *Diaconi* antiquitus destinarentur. Illi Sacrorum *Vasorum* curam gerebant; *dona* populi exhibebant Episcopo, & supra mensam deponebant; *Offerentium* nomina inserebant Dypticis, & publice recitabant; Episcopo Sacrum operanti *adstantes aderant* in ministerio; *Evangelium* legebant; *Eucharistica Dona* porrigebant Christianæ plebi

bi ad Presbyterii cancellos genuflexæ; *Baptizabant* jubente Episcopo sive Presbytero, & *concionabantur*; urgente necessitate *Pœnitentes* externa ceremonia, non Sacramentali, Ecclesiæ *reconciliabant*; Laicos, & inferiores Clericos inordinate quidpiam in Ecclesia facientes *corrigebant*, & modica coercitione multabant. Extra Ecclesiam vero *ministrabant* Episcopis, eosque in *Conciliis* aliquando repræsentabant. De criminibus populi, & Clericorum, monebant *Episcopos*, quorum *nomine* circumlustrabant Diœceses, & *eleemosinas* distribuebant pauperes inter & viduas, pupillos & peregrinos. Curabant demum Ecclesiæ *redditus* etiam pro Cleri sustentatione.

Presbyterorum Nomina & *Officia* poterunt eadem ratione enunciari. *Episcopi* aliquando vocati sunt, non ita tamen, ut Episcoporum potestas cum Blondello, & Salmasio imminuatur, quod præter Catholicos, Hammondus, & Beveregius ostendunt. Cum Episcopo in *thronis secundis* sedebant Presbyteri, & cum eo in sacris Ordinationibus *manus imponebant*. In Consessu Diœcesano, & Provinciali *suffragium* tulisse inveniuntur Presbyteri, quidquid in oppositum reclamet Cellotius in suo *Tract. de Hierarch.*, adversus quem plura documenta exhibet Justellus Tom. I. *suæ Biblioth.*

Episcopi primitus fuerunt omnes *Apostoli*, a quibus constituti Ecclesiarum Rectores, *Apostolorum Successores* vocati sunt, *Principes populi*, *Papæ*, *Angeli Ecclesiæ*, aliisque titulis gradum, & dignitatem sublimissimam designantibus. *Episcopatum* verum esse propriumque *Sacramentum*, a Sacerdotio nova consecratione distinctum, ostendi debet, simulque probari Episcopos ex divina institutione, atque ab Apostolorum ævo fuisse semper *Presbyteris superiores*, cum dignitate, tum potestate. In hoc argumento refutari debet audacia Blondelli, qui in Apologia Hieronymi omnem movit

vit lapidem, ut Episcopos Presbyteris reddat *æquales*. Petavius qui *de Hierarchia Ecclesiastica* scripsit contra Salmasium, sub nomine Wal. Messalini latentem, Mabillonius in *Præf. III. Sæc.*, Cotelerius *ad Epist. S. Clem. ad Corinth.*, Morinus *Dissert. I. de Sacr. Ordinat.*, Nat. Alexander, Hallierus, Thomasinus, & Dogmatici, opponuntur Blondello, una cum Acatholicis, quorum agmen ducunt Usserius, Hammondus, & Pearsonius. Diversi sunt Episcoporum *Gradus*, qui enunciari poterunt cum potestate, qua antiquitus *Chorepiscopi* fruebantur.

De Episcoporum, aliorumque Clericorum *Cœlibatu* Controversistæ fere omnes inquirunt. Erudite & solide in hoc argumento versatus est Duguetus in suis *Confer. Ecclesiast.* Quicumque *Dissertat.* illius *XL. supra Can. X. Conc. Ancyr.* inviserit, nihil omissum reperiet eorum, quæ scitu necessaria sunt in celebri hoc Clericalis Disciplinæ articulo. Brevitati consulens, in tria capita controversiam hanc distribuerem. In primo agerem de *Cœlibatu* temporum Apostolicorum, & primi sæculi. In secundo de *Majorum Ordinum Cœlibatu* in Ecclesia *Orientali*. Ad tertium referrem Cœlibatum *Occidentalis* Ecclesiæ. Conditiones aliæ, quæ requiruntur in Clericis pro *scientia*, *moribus*, & *qualitatibus* eorumdem, opus erunt & labor in Institutionibus Juris Canonici subeundus.

Matrimonium, quod est Officium Naturæ, & imago conjunctionis Christi Domini cum Ecclesia, *magnum Sacramentum* dicitur ab Apostolo. Diligentiam studiumque singulare in illo impendi oportere monet S. Augustinus, scribens Quæstionem de Conjugiis *obscurissimam* esse, & *implicatissimam*. Contractus *Naturalis*, atque *Civilis* a Sacramento Matrimonii segregetur. De Naturali, Civilique Matrimonii Contractu, investigatis *nominibus* assumi debet examen *Essen-*

tiæ,

tiæ, *Materiæ*, *Formæ*, *Objecti*, *Honestatis*, *Necessitatis*, & *Institutoris* Matrimonii, nec non *Proprietatum* illius, quæ sunt *Unitas*, & *Insolubilitas*. Contemplari deinde opus est Matrimonium, evectum a Christo Domino ad sublimissimam *Sacramenti* excellentiam, quæ novum laborem postulat in statuenda *Materia*, & *Forma* Sacramenti, ejusdemque *Ministro*, & *Effectibus*, quibus consociari debent *Impedimenta*, quæ vitiant, & *Solemnitates*, quæ Matrimonium comitantur, & quæ illi præmittuntur.

Inter *Nomina* Matrimonii collocari etiam debet illud, quo Græci utuntur, videlicet Στεφανισμὸς *coronæ impositio*; & miratus sum, quod Chardonius in *Hist. Matrim.* cap. 3. ritum *coronandi Sponsos* tribuat Orientalibus recentioris ævi, cum sit antiquissimus, testibus Allatio, & Goario, & exempla illius inveniantur in Occidente, & in Africa, scribente Tertulliano *de Cor. Milit.* quod *coronant Nuptiæ Sponsos*. Matrimonii *adversarios* numerant cum Theologis idem Chardonius *cap.* 1. & Thiers *de Superstit. Matrim.* diligentissime. Post *definitionem* Romani Catechismi probatam expositamque, statuendum esse videtur, quod *Essentia* Matrimonii, uti illam vocant *in fieri*, resultet ex *mutua* Contrahentium *consensione*; & *in facto esse*, quod reponi debeat non in carnali corporum commixtione cum Pelagianis, & Wiclefo, sed in *Vinculo*, quod enascitur a consensu viri, & mulieris signis externis manifestato. Impudentissime igitur Calvinus Catholicis vitio vertit, quod per immundum actum carnalis commixtionis *Gratiam Sacramentalem* generari docuerint. Matrimonii utriusque *Materia*, *Forma*, & *Objectum* evidenter ab *Essentia* dimanant.

Quamvis autem contra Jovinianum, & recentiores Sectarios *Virginitatem*, perpetuamque continentiam, exemplo, & consiliis Divini Præceptoris stabilitam,

Matrimonio anteferendam esse doceat Ecclesia, nihilominus *Matrimonium*, carnali etiam copula consummatum, *bonum* est, *honestum*, & *utile*, frustra obstrepentibus Manichæis, aliisque antiquioribus, a quibus *Nuptias* vetandas esse, Paulus ad Timotheum scribens, vaticinabatur. Ad *Matrimonium* contrahendum tenebantur homines lege *Naturæ*, Divinoque *præcepto*, eo tempore, quo propagationi humanæ speciei consulendum erat. Postquam vero humano generi provisum fuit, & non defuerunt, neque desunt, qui *Matrimonio* dent operam, licitum erit aliis *cælibem* vitam ducere, & imitari Christum Dominum, cui præcessisse novimus in veteri Lege Josue, Eliam, Jeremiam, Jo. Baptistam, & alios. Matrimonii *Honestas*, *Bonitas*, atque *Utilitas* ex eo legitime deducuntur, quod ortum traxerit Maris conjunctio cum Fœmina in vitæ individuam consuetudinem, a *Lege Naturæ* insculpta cordibus hominum, & confirmata ab eorumdem hominum Domino, & Creatore.

Proprietates Matrimonii sedulo considerandæ, *Unitas* sunt, atque *Insolubilitas*. Unitati opponitur *Polygamia*, quæ dividitur in simultaneam, & in successivam. *Polygamia*, *simultanea* unius Fœminæ cum Viris pluribus, *Polyandria* dicitur, & *Juri Naturali* repugnat, neque unquam in illa a Deo dispensatum fuit. Stomachum propterea movit ipsis quoque Gentilibus Plato, qui *Polyandriam* permisit in sua Republica. *Polygamia simultanea* unius Viri cum pluribus Fœminis, illicita similiter est, & nefaria, Jurique Naturali *secundario* repugnat; quamobrem reprehensum a Patribus legimus Lamechum, qui fracto individuæ societatis vinculo, duas sibi sociavit uxores. Post Diluvium vero *dispensasse* Deum cum veteribus Patriarchis, ut *absque peccato* plures simul uxores ducere possent, Catholicorum communis sententia est, adversus Calvinum, qui

qui ausus fuit gravissimi veluti criminis reos traducere Patriarchas Sanctissimos, qui Legem *Unitatis Matrimonii* haud violassent, nisi *indulgente* Deo, & *dispensante*. Et quamvis uxores ab eisdem post primam ductæ, *Concubinæ* vocentur in libro Genesis, *vero* tamen cum illis *Matrimonio* copulabantur, & *secundariæ* erant *Uxores*, quod cum aliis Theologis evidenter ostendit Pontius *lib. 7. de Matrim. cap.* 54.

In *Lege* autem *Evangelica* vetita atque *interdicta* perpetuo fuit *Polygamia simultanea*, & rescissa a Legis ejusdem Institutore *dispensatio* Legis Mosaicæ. Permissio igitur facta Hassiæ Landgravio alteram ducendi Uxorem, prima superstite, æternæ infamiæ nota maculat Lutheri memoriam, sicuti animadvertunt Bossuetus *lib.* 6. *Hist. Variat.* & Jueninus *Dissert. X. quæst.* 4. Quod si Valentinianus Senior Legem tulisset *de duabus uxoribus*, a gravi crimine excusari non posset. Valesio autem placuit *inter fabulas* amandare historicam de Valentiniano narrationem Socratis, qui sublestæ fidei in aliis quoque deprehensus fuit. Revera Ammian. Marcellinus, & Zozimus synchroni, & Christiano nomini infesti, aliique Historici silent, quod fieri non debuisset, in abrogatione alterius Legis, quam de *unicitate* Uxoris promulgari jusserant Diocletianus, & Maximianus.

Polygamia autem *successiva*, *secundæ* videlicet, & *ulteriores Nuptiæ*, Jure neque *Naturali*, neque *Divino* prohibentur; quamobrem Novatianis, atque Montanistis vitio vertitur, quod *Bigamos* veluti Adulteros condemnaverint. In votis quidem habuit Ecclesia, ut a *secundis Nuptiis* arcerentur Fideles; & quidpiam *intemperantiæ* in *Bigamis* latere censuit, eosdemque a Sancto *Altaris* ministerio repulit, publicæ *Pœnitentiæ* subjecit, Sacerdotali *benedictione*, & Sponsorum *corona* spoliavit; sed hujus disciplinæ severitas non officit Ca-

tholico Dogmati, quod ipsiusmet Apostoli doctrinæ, & hortamentis innititur.

Firmum similiter est, atque *indissolubile* Vinculum Matrimonii. Inutilem itaque operam ludit Launojus, Leges Cæsareas *Repudium* permittentes in medium proferens, quando illis obsistit Lex Evangelica. Theologi disputantes de Judæorum *Repudio*, scinduntur in partes. Legantur de hac celebri Controversia, & de eorumdem Judæorum Polygamia Sanchez *lib. X. de Matrim.* Bellarminus *cap.* 17. Pontius *lib. VII. cap.* 50. Lud. Vietta *de Matrim. Hebr.* Bartoloccius *in Bibl. Rabbin.* aliique Dogmatici, atque ex Acatholicis Seldenus *in Uxor. Hebr.* & Buxtorfius *de Sponsal. & Divort.* Cætera, quæ disputari debent de solutione Matrimonii *ob conversionem* unius, aut amborum Conjugum ad Christi Fidem, ob *Adulterium*, sive ob *solemne* Castitatis *Votum*, discussa invenientur ab eisdem Dogmaticis, & a Moralis Theologiæ Præceptoribus. Solutionem Matrimonii, causa Adulterii quæsitam, critica lance expendunt Petavius *in Epiphanium*, Cotelerius *in not. ad Hermam*, Nourry *in eumdem Hermam*, & *in Ambrosium*, & Th. Campegius in absolutissimo *Tract. de indissolubilit. Matrim.*

Quod vera *ratio*, sublimisque dignitas *Sacramenti* Matrimonio conveniat, nullus dubitat Catholicorum. Pro hoc eodem Dogmate dimicant omnes Controversistæ, quorum augent numerum Renaudotius *Tom. ult. perpet. Fid.* & Jac. Boileau in exiguo, sed aureo *libello de Sacramenti* hujus *veritate*. Si tamen *inter absentes.* Matrimonium contrahatur, Sacramenti prærogativa illud spoliari, probabilius arbitror cum Cano, Concina, aliisque Theologis, qui rata & firma pronunciant post Evangelii promulgationem *Infidelium* Matrimonia in ratione *Contractus*, non *Sacramenti*, cujus tamen effectum communicari arbitror Conjugi *Fi-*

de-

deli, si dispensante ob publicam utilitatem Ecclesia, cum *Infideli* conjungatur. Hæc sane Matrimonia primis Reipublicæ Christianæ temporibus tolerata fuisse, Historiæ Ecclesiasticæ monumenta suadent.

Sacramenti Matrimonii *Materia*, & *Forma* decerni non poterunt, nisi prius statuatur ejusdem Sacramenti *Minister*. Me non latet a pluribus, *Contrahentes* Matrimonium assumi pro illius *Ministerio*. Militant pro hac sententia, cum Juris Canonici expositoribus Scholastici veteres, quibus adhærent Soto, Vasquez, Pontius, Bellarminus, & Gotti, cum aliis. Condecoratur tamen a pluribus eodem *Ministerio Sacerdos*, qui ex Concilii Tridentini mandato Sponsis benedictionem impertitur, eosdemque in Matrimonium conjungit. Post Guill. Parisiensem Canus, Toletus, de Marca, Maldonatus, Estius, Silvius, Nat. Alexander, & fere omnes Galliarum, aliarumque Nationum recentiores Theologi, hanc prærogativam *Sacerdotibus* vindicant, neque ab hac secunda opinione, tanquam a probabiliore recedendum existimo, præsertim ob testimonia Conciliorum, & Ritualium, quæ in *Sacerdotibus* videntur agnoscere, in hoc etiam sacro ritu, Mysteriorum Dei dispensationem. Quotiescumque illa *Contrahentes* spolientur, *actus* eorumdem *Materia*, & Sacerdotis *verba* erunt *Forma*, in cujus prolatione cœlesti gratia Sponsi locupletantur. Præter enunciatos Theologos, ad Ministrum, Materiam, Formamque Matrimonii, referuntur *opera posthuma* Pet. de Marca, *Euchologium* Goarii, Menardi *annot. in Sacrament. S. Gregorii*, & Martenius de *Ecclesiæ ritibus*. Theologis etiam, quibus placuit inquirere, quæ sententia veritati magis sit consentanea, addatur Habert *de Matrim. Cap.* 4., in quo utriusque partis rationibus nitide breviterque traditis, consectaria inde infert legentibus utilissima.

Duobus *Impedimentorum* generibus subjacet Matrimonium. Alia illicitum reddunt, & *impedientia* dicuntur, alia *dirimentia* Matrimonium irritant. Priusquam de utrisque sermo habeatur, dissolvenda est Quæstio de *potestate* statuendi impedimenta, præsertim dirimentia, & refellendi duo oppositi errores. Priori adhæserunt cum novatoribus M. Ant. de Dominis, & Jo. Launojus, qui penes Laicam Potestatem residere solummodo voluerunt *arbitrium* ampliandi, sive etiam de medio auferendi *impedimenta*. Alter proponitur a Theologis quibusdam obscuri nominis, qui conati sunt a Suprema Principum Potestate auferre *facultatem* ponendi obstacula, quæ dirimant Matrimonium. Launoii audaciam repressam fuisse invenio ab ipsis quoque Parisiensis Scholæ Theologis, quibus curæ fuit supremis etiam Regnorum Moderatoribus *potestatem* vindicare, & asserere, qua supra Matrimonii *Contractum* frui debent. Chardonius *lib.* 3. *cap.* 8. duplicem hanc controversiam proponit, exemplis illustrat, & feliciter solvit. Impedimenta *dirimentia* oriuntur vel ex Lege Naturali, & Divina, vel ex Ecclesiæ Decretis, vel demum a Principum Constitutionibus. Breviter recensantur, cum aliis quæ *impedientia* dicuntur, & cum Matrimoniis *Filiorum*, & *Servorum*, quando invitis Parentibus, & Dominis contrahantur.

De *Gratia*, quæ *Effectus* est Sacramenti, nulla moveri poterit difficultas. Matrimonio præmittuntur *Sponsalia* apud Hebræos, Romanos, & Christianos antiquissima. Ut *obligationem* inducant, conditiones aliquæ requiruntur, quibus legitime positis, a Nuptiis resilire non licet, nisi ob caussas apud Theologos inquirendas. Si recentiorem Matrimonii *disciplinam* cum antiquiori conferre velimus, recedendum non est a Mamachio in suo erudito Opere *de moribus Christianorum*, a Binghamo, atque ab Albaspinæo animadvertente,

Fide-

Fideles secundo etiam sæculo ex Episcopi sententia nupsisse, referentibus Diaconis, qui vocabantur *Nuptiarum Consiliarii*. Anulum *Pronubum* nominant post Tertullianum SS. Greg. Turonensis, & Isidorus; quin etiam in Græcorum Ecclesiis Sponsi *Anulum* accipiebant de manu Episcopi, cujus nomen apponebatur *Tabulis Matrimonialibus*, de quibus loquitur Augustinus *Serm.* 51. *de divers.*, & ante illum Ignatius Martyr in *Epist. ad Polycarpum*.

Ex veteris Ecclesiæ Fastis alia plura scitu dignissima depromi possent, nisi consulendum foret brevitati. In eum finem antiquarum ætatum *mores*, & *disciplinam* in singulis Sacramentis summatim attigi, ut intelligant nostrorum Juvenum Institutores, egregiam operam navaturos, si ex Martenio, Goario, Thomasino, Chardonio, aliisque documenta, & testimonia delumpserint, a quibus antiquorum Fidelium consuetudines, in Sacramentorum ministratione, & usu, manifestentur. Ab eisdem profecto illustratur Catholicum Dogma; & exempla, quæ proponuntur intimius nosse, & diligenter imitari, utile non minus est quam decorum.

Specimen assumpto huic labori addendum foret Ecclesiastici Juris, cui consociari debet Methodus servanda in studio Ecclesiasticæ Historiæ, & præcipuarum Quæstionum, quæ a Theologo discuti debent, & ad unumquodque Ecclesiæ sæculum referuntur. Quamprimum meam liberabo fidem, & curabo, ut nova hæc opella ad manus perveniat nostrorum Juvenum, quorum menti insculptam velim Spiritus Divini sententiam, quod *non erudietur, qui non est sapiens in bono*.

DU-

DUBIA ET QUÆSTIONES

Datis sortibus solvendæ in experimentis, quæ præmittuntur Graduum assecutioni

Annus Quartus

EX LOCIS THEOLOGICIS, ET EX TRACTATIBUS DE DEO UNO, ET TRINO.

1. AN Divina Revelatio utilis sit, & necessaria, & quibus argumentis ejus existentia, ac credibilitas evincatur.
2. Quid sit Divina Scriptura, & quinam sint Libri Canonici tum veteris tum novi Testamenti.
3. An Scripturæ tam veteris, quam novi Testamenti integræ sint quoad omnes partes; & utrum omnes Scripturarum libri sint veri, an supposititii.
4. An Libri omnes veteris & novi Testamenti divinæ sint authoritatis, atque infallibiles.
5. An prodigia, quæ in ipsis narrantur, occultis naturæ viribus, sive potius Deo naturæ ordinem immutanti in testimonium veritatis sint adscribenda; & utrum in ejusdem veritatis confirmationem ab improbis etiam miracula fieri, & futura manifestari possint.
6. Quid de Paganorum miraculis, ac oraculis sit statuendum
7. Quot Libros complectatur Judæorum Canon; an olim plures quam nunc sint, continuerit; & a quibus confectus fuerit idem Canon.
8. Quinam Libri olim fuerint in Canone Catholicorum; & an Versio, qua nunc universalis utitur Ecclesia, pro authentica habenda sit.
9. Quot olim fuerint Veteris Testamenti Versiones Græcæ; quo

quo tempore , quo in loco , & quomodo incœpta ac peracta fuerit Septuaginta Seniorum Versio, quos libros complectatur, & quantæ olim fuerit, & nunc sit authoritatis .

10. Quot fuerint Versiones latinæ veteris novique Testamenti ante Hieronymi tempora, & quænam inter ipsas in Occidentalibus Ecclesiis obtinuerit; quænam ab Hieronymo edita fuerit, & quænam posterioribus Sæculis prodierint .

11. An Scriptura multiplicem contineat sensum; & quomodo iste sensus multiplex adæquate dividatur, & ad quem spectet tradere germanum sensum Sacræ Scripturæ .

12. Quid , & quotuplex sit Traditio ; & an Traditiones divinæ necessario sint admittendæ ; & quomodo demonstrari possit per easdem veram doctrinam a Mundi exordio ad nostram ætatem custoditam fuisse.

13. Quibus regulis vera Traditio a falsa , Divina ab humana distinguantur .

14. Quid sit Ecclesia , & an soli prædestinati , sive soli justi sint membra illius .

15. Utrum soli baptizati sint in Ecclesia , & an ad illam pertineant Hæretici , atque Schismatici .

16. An Ecclesia sit Una , Sancta, Catholica, & Apostolica.

17. An sit visibilis , infallibilis , & indefectibilis.

18. Quid & quotuplex sit Concilium , & ad quem spectet Concilia Generalia convocare , illis præesse, eademque confirmare .

19. An Concilia Generalia , quibus nullæ desunt requisitæ a Catholicis conditiones , divinæ sint authoritatis , & infallibilia .

20. Utrum Concilia sint Ecclesiæ necessaria ad fidei , morumque controversias definiendas .

21. Utrum , & quo jure Romanus Pontifex Primatum habeat in Ecclesia .

22. An Romanus Pontifex in fidei & morum Decretis errare possit ; & an sit supra Concilium Generale .

23. Quæ sit Ecclesiæ Patrum authoritas in Regulis Fidei , ac morum .

24. An Christianæ Religionis veritas demonstretur contra Deistas , & Polytheistas .

25. An demonstretur contra Judæos, & Mahumedanos.
26. Quibus nominibus Dei natura apud Hebræos, Græcos, Latinos exprimatur, & quid denotetur per nomen Jehovah.
27. Quisnam sit gradus constitutivus seu differentia essentialis divinæ naturæ.
28. An perfectiones omnes, & divina attributa in essentia Dei includantur, & quomodo tum ab essentia, tum inter se distinguantur.
29. An Deus sit unus.
30. An Deus sit Ens omnino simplex, ita ut omnis compositio sit ab ipso removenda.
31. An Deus sit infinitus in omni genere perfectionis.
32. An Deus sit immensus, rebusque omnibus intime præsens, non tantum cognitione, & operatione, sed essentia; & an præsentia Dei efficaciter probetur ex operatione illius, & quomodo.
33. An Deus sit omnino immutabilis etiam in Decretis.
34. Utrum Deus & quidem solus sit æternus.
35. An Deus videri possit oculis corporeis, atque ab intellectu creato per solas naturæ vires.
36. An possibilis sit saltem per gratiam intuitiva Dei visio, & an hæc possit esse perfecta, & comprehensiva.
37. Utrum animæ Sanctorum, quibus nihil luendum superest, statim ac corpore solvuntur, ante ultimum generale Judicium intuitiva Dei visione donentur; & quæ fuerit Joannis XXII. sententia de Sanctorum beatitudine.
38. Utrum in hac mortali vita aliquibus intuitiva Dei visio concessa fuerit.
39. Quid sit Lumen Gloriæ, quæ ejus necessitas, quæ officia, & quomodo intellectus creatus concurrat ad visionem Dei intuitivam,
40. An visio beatifica Angelorum, & Hominum sit ejusdem speciei; & an sit in omnibus Beatis æqualis, & quodnam sit principium inæqualitatis visionis beatificæ.
41. Quomodo Deus dicatur Vivens in Scripturis, & quid ejus Vitæ nomine intelligatur.
42. An in Deo sit vera Justitia, & vera Misericordia.
43. Utrum Deus sit Omnipotens, & an creare possit alia, & meliora illis, quæ creavit.

44.

44. Quid sit, & utrum detur in Deo providentia, quodnam sit divinæ Providentiæ objectum; an semper suum finem assequatur; & an rebus provisis necessitatem imponat.

45. An sit in Deo proprie loquendo veri nominis scientia.

46. Utrum, & quo medio Deus semetipsum perfecte cognoscat, & comprehendat.

47. An Deus congnoscat singillatim omnes creaturas possibiles, & existentes, omnia secreta cordis, & omnia mala seu pœnæ seu culpæ.

48. Utrum Deus cognoscat futura omnia, necessaria, libera, & contingentia, tam absoluta quam conditionata.

49. Quo medio cognoscat Deus possibilia, præterita, præsentia, & futura libera, sive absoluta, sive conditionata, tam naturalis, quam supernaturalis ordinis.

50. Utrum divina scientia adæquate dividatur in scientiam simplicis intelligentiæ, & in scientiam visionis, an vero admittenda sit tertia quædam scientia, quam Mediam vocant.

51. An, & quænam scientia Dei sit caussa rerum effectrix.

52 An in Deo sit proprie dicta voluntas; & quodnam sit objectum formale, & materiale primarium, & secundarium illius.

53. An Dei voluntas sit libera, & quæ sit ejus libertatis explicandæ ratio.

54. Utrum admittenda sit divisio divinæ Voluntatis in voluntatem signi, & in voluntatem beneplaciti, in antecedentem & consequentem, & unde petantur istæ divisiones.

55. Utrum Dei voluntas sit caussa rerum, an semper impleatur, & semper sit absoluta.

56. An sit in Deo vera, sincera, formalis, & beneplaciti voluntas salvandi omnes; & an Christus pro omnibus mortuus fuerit.

57. Quid sit prædestinatio, quomodo differant prædestinatio, dilectio, electio, propositum, disceretio, præparatio, & quibus nominibus appellentur prædestinati in Scriptura, & in Patribus.

58. Utrum prædestinatio hominis lapsi ad gratiam, & ad gloriam sit omnino gratuita, & independens a meritorum prævisione, & sit immutabilis.

59. An sine speciali revelatione quisquam certus esse possit de sua prædestinatione.

60. Quid sit reprobatio; & an a Deo decreta fuerit, saltem post prævisum originale peccatum.

61. An reprobatio Angelorum & Hominum a Deo facta fuerit post prævisa eorum demerita; & quinam sit effectus reprobationis in Angelis, & in hominibus.

62. An numerus reproborum multo major sit electorum numero, etiamsi de solis Christianis loquamur.

63. Qninam sint hæreticorum errores circa Trinitatis Mysterium, & an rationis lumini opponatur.

64. An Mysterium Sanctissimæ Trinitatis sola ratione naturali demonstrari possit, & an Gentilibus, & Judæis innotuerit ante Christi adventum.

65 An sint reapse in Deo tres Personæ a se invicem realiter distinctæ, in unitate ejusdem numericæ essentiæ, & naturæ.

66. An versiculus septimus capitis 5. Epistolæ I. S. Joannis sit genuinus.

67. An admittendæ, & quot sint in Deo processiones, & quodnam sit principium earumdem.

68. An, & cur processio Filii sit generatio, non autem processio Spiritus Sancti.

69. An admittendæ sint in Deo relationes, quot sint relationes originis in tribus personis, & an sint veræ perfectiones.

70. An, & quæ Personæ Divinæ mittantur; & an in Personis Divinis admittenda sit circuminsessio.

71. An detur in unaquaque Persona Divina aliquid proprium, & specificativum quod sit reale, & intrinsecum; & per quid Personæ Divinæ constituantur, & specificentur.

72. Quibus nominibus Persona Patris soleat designari; an, & quo sensu Pater dici possit principium, & fons totius divinitatis; & an dici possit caussa Filii.

73. Quibus nominibus designetur Persona Filii; & an Verbi divinitas possit ex Scripturis demonstrari, atque ex Traditione.

74. Quænam de Verbi divinitate fuerit sententia Justini, Athenagoræ, & Theophili Antiocheni.

75.

75. Quid de eadem Verbi divinitate senserint Jrenæus, Clemens Alexandrinus, Origenes, Dionysius Alexandrinus, Lactantius, & Eusebius Cæsariensis.
76. Quid Concilium Nicænum I. circa Verbi divinitatem definierit; & an jure ac merito vocabulo Omoousion ejusdem Concilii Patres usi fuerint.
77. Cuinam Syrmiensi formulæ subscripserit Liberius Summus Pontifex; & an Osius Cordubensis Arianæ formulæ subscripserit, atque in hæresi, & impietate Arianorum obierit.
78. An Spiritus Sanctus sit vera Persona, & vere Deus Patri, & Filio consubstantialis.
79. An Spiritus Sanctus procedat etiam a Filio, & utrum a Filio distingueretur, si ab eo non procederet.
80. Utrum vox Filioque merito addita fuerit Symbolo Constantinopolitano.

Annus Quintus.

EX TRACTATIBUS DE INCARNATIONE, Gratia, Mysteriis, Annis, & Cultu Christi Domini, & Sanctorum.

1. Quibus nominibus a Sacris Literis, & a Patribus utriusque Ecclesiæ exprimatur Incarnatio Verbi Divini; & quinam fuerint præcipui Hæreticorum errores circa Incarnationis Mysterium.
2. An possibile sit Incarnationis Mysterium; & an ratione naturali demonstrari possit.
3. An Angelis, Judæis, & Gentilibus fuerit cognitum.
4. An conveniens fuerit Incarnatio, atque etiam necessaria.
5. An ex Jacobæo vaticinio relato Gen. 49. contra Judæos demonstretur venisse Messiam in Lege promissum; & quid nomine Sceptri & Judæ intelligendum sit in præfato vaticinio.

6.

6. An ex Danielis vaticinio ostendi possit Messiam jamdiu venisse; & a quo anno desumendum sit initium 70. Hebdomadarum Danielis.

7. Utrum evinci possit contra Judæos Jesum Nazarenum esse Messiam in Lege promissum.

8. Num testimonium, quod de Jesu Nazareno legitur Lib. 18. Antiquit Judaic. cap. 4. apud Fl. Josephum, hujus authoris genuinus sit fœtus.

9. An demonstrari possit contra Gentiles Messiam venisse, eumque esse Christum Salvatorem nostrum.

10. An Verbum Divinum verum corpus, veramque carnem assumpserit; atque illam non e Cœlo, sed ex Matre acceperit.

11. An Corpus Christi vere doloribus obnoxium fuerit; & quæ fuerit S. Hilarii Pictaviensis sententia.

12. An Verbum Divinum animam humanam assumpserit mente, ac ratione præditam.

13. An Christi Corpus ex Maria Virgine prodierit, illibata remanente Matris virginitate.

14. An una, vel duplex fuerit in Christo voluntas, & operatio.

15. An Honorius I. Romanus Pontifex Monothelitis adhæserit.

16. An una tantum sit in Christo Persona Verbi Divini; & an Beata Virgo Mater Dei dicenda sit.

17. Utrum Nestorius legitime & canonice ab Ephesina Synodo damnatus ac depositus fuerit; & utrum Johannes Antiochenus cum suis Orientalibus Nestoriano errori adhæserit.

18. Utrum S. Cyrillus Nestorium impugnans in oppositum Apollinaris errorem lapsus fuerit.

19. Utrum duæ sint in Christo naturæ invicem distinctæ, atque impermixtæ.

20. Quid sit Unio hypostatica, & in quo consistat; quid communicatio Idiomatum; & an Ubiquitas naturæ humanæ Christi Domini conveniat.

21. Quodnam fuerit motivum totale, & adæquatum, & quinam terminus Incarnationis Verbi Divini.

22. Quibus nominibus Gratia designetur, quomodo definiatur, & quotuplex sit.

23. Quinam fuerint errores veterum ante Pelagium circa Gratiam. Quænam fuerit Pelagii Patria, vitæ institu-

tu-

tutum, & quos socios in hæresi disseminanda habuerit, primosque discipulos.

24. Quo tempore Pelagius errores suos disseminare cœperit, quoties de Gratia & libero arbitrio differens sententiam mutaverit, & ob quam caussam.

25. In quo dogmate Semipelagiani erraverint; quo in loco hæresim suam disseminaverint, & unde errandi motivum hauserint;

26. An Cassianus, Faustus Rejensis, Vincentius Lirinensis, Hilarius Arelatensis, Gennadius, & S. Jo. Chrysostomus inter Semipelagianos numerandi sint.

27. An hæresis Prædestinatiana aliquando extiterit; & an Gothescalcus illam defenderit, & disseminaverit.

28 Quidnam Lutherus, atque Calvinus docuerint de Gratia, & Libero Arbitrio contra catholicam veritatem.

29. Quinam fuerint præcipui errores Michaelis Baii circa Gratiam, Liberumque Arbitrium: a quibus Rom. Pontificibus fuerint proscripti: quomodo se gesserint Galliarum Episcopi, & Parisiensis schola in hac controversia; & an jure Baii propositiones damnatæ fuerint.

30. Quisnam fuerit Jansenius, quæ illius 5. Propositiones, a quibus summis Pontificibus damnatæ, & quomodo se gesserit circa S. Sedis damnationem Ecclesia Gallicana.

31. An 5. Propositiones Jansenii jure merito damnatæ fuerint, & an opponantur doctrinæ S. Augustini.

32. An in factis dogmaticis Rom. Pontifices errare possint, & an licuerit obsequioso silentio uti in subscriptione Formularii propositi ab Alexandro VII.

33. An doctrina Quesnellii tanquam Janseniana jure merito damnata fuerit in Bulla *Unigenitus* a Clemente XI., & an hæc Bulla pro regula fidei habenda sit.

34. In quibus statibus considerari possit natura humana; an in statu innocentiæ primi Parentes justitiam originalem, sive gratiam sanctificantem acceperint; & quanam gratia indiguissent ad perseverandum in bono.

35. An sit possibilis status naturæ puræ.

36. Quid sit Gratia habitualis sanctificans, an intrinsece animæ inhæreat, & permanenter, an distinguatur a Charitate, & quomodo formaliter reddat hominem justum

37. Quid sint, & quotuplicis generis virtutes infusæ, ac dona Spiritus Sancti ; & an infundantur per modum habitus cum Gratia sanctificante.

38. Quid sit Gratia actualis , quomodo distinguatur ab habituali , & an homo possit absque Gratia se præparare ad Gratiam .

39. An homo sine Gratia diligere Deum , & operari valeat aliquod opus bonum tam naturale , quam morale.

40. Utrum homo possit sine Gratia implere omnia Legis præcepta , & superare tentationes , & se abstinere ab omni peccato tam mortali , quam veniali .

41. Utrum Fides necessaria ad salutem sit Gratia proprie dicta ; & utrum initia Fidei sint ab homine absque Gratia .

42. Utrum sine Fide bonum aliquod morale fieri possit ; & utrum omnia opera Infidelium sint peccata .

43. Utrum Gratia sanctificans possit amitti , & an sit æqualis in omnibus justificatis .

44. An admittenda sit Gratia per se, ex se, & ab intrinseco efficax, & a quonam repetenda sit efficacia Gratiæ.

45. Quid sit delectatio victrix , & an per illam moraliter determinetur voluntas ad opus eliciendum ; & quodnam discrimen intercedat inter delectationem victricem plurium Catholicorum , & delectationem victricem Jansenistarum , & in quanam illarum auferatur libertas .

46. Quid sit Gratia sufficiens , & an debeat admitti in statu naturæ lapsæ ; & utrum detur etiam Infidelibus, & an denegetur aliquando .

47. Quid sit justificatio ; an collocari debeat in forma intrinseca , quæ animæ inhæreat ; & quæ dispositiones requirantur ad eam assequendam, tam in parvulis , quam in adultis .

48. An per solam Fidem homines justificentur .

49. Quid sit meritum , & utrum acquiratur per opera pietatis , & quæ ad comparandum meritum conditiones requirantur, tam ex parte hominis , quam ex parte Dei .

50. Utrum Beata Virgo Deipara, firmo permanente Virginitatis proposito, verum contraxerit Matrimonium cum

S. Jo-

S. Josepho; & an ambo fuerint ex Tribu Juda, & ex Familia David.

51. An Christi Domini conceptio fuerit plane miraculosa, & supernaturalis.

52. Quo in loco, & quo anno, ac die natus sit Christus Dominus; & quæ prodigia Christo nascente contigerint.

53. Quot fuerint Magi, qui ad Christum adorandum venerunt: quænam eorum conditio ac dignitas, & ex qua Patria.

54. Utrum conveniens fuerit Christum circumcidi, & offerri in Templo; ac Virginem Deiparam purificari.

55. Quando, & undenam Joseph cum puerulo Jesu, & Maria Conjuge fugam arripuerit; quanto tempore in Ægypto sint commorati; quo tempore Bethleemitica puerorum cædes indicta fuerit ab Herode; quotus fuerit puerorum occisorum numerus; & an pueri Bethleemitæ impio ferro sublati veri Christi Martyres sint habendi.

56. Quod vitæ genus, & institutum ab eo tempore, quo ex Ægypto eductus est, usque ad annum, quo baptizari voluit, Christus Dominus servaverit.

57. Quo anno, quoque loco Christus Dominus baptizatus fuerit; & quantum temporis effluxerit a Joannis Baptistæ ministerio, usque ad Baptismum Christi.

58. An conveniens fuerit ut Christo baptizato, & orante aperirentur Cœli, & Spiritus Sanctus in Christum baptizatum illaberetur in specie Columbæ, & Paterna vox audiretur.

59. Utrum Apostoli baptizati fuerint Baptismo Joannis, aut Christi Domini; & utrum Joannis Baptismus conferret gratiam sanctificantem.

60. An Christus vera miracula divina virtute patrarit; & an per ipsa miracula suam Divinitatem comprobarit.

61. Quonam anno, mense, die, & hora ultimam Cœnam Christus celebraverit, & quo loco; quosnam commensales habuerit, & quomodo hæc Cœna peracta fuerit.

62. An Christus acerbissimis doloribus corporis, & animæ in Passione, & in Morte cruciatus fuerit; & quomodo illius dolores cum visione beatifica concilientur.

63. An Divinitas Christi ab ejus anima, corpore, & sanguine in triduo mortis, ac sepulturæ fuerit separata.

64. An Christus post mortem suam ad Inferos descenderit; & quibus descensu suo salutem attulerit.

65. An Christus Dominus vere a mortuis surrexerit; & an post resurrectionem verum habuerit corpus integrum, & gloriosum.

66. Utrum conveniens fuerit, & saluti nostræ necessarium, ut Christus in Cœlum ascenderet; & utrum, sedens ad dexteram Dei Patris officio Mediatoris, & Sacerdotis etiamnunc fungatur, oretque pro nobis.

67. Quo tempore, & a quibus Spiritus Sancti Missio facta sit, quo loco, ad quos, quo externo signo prodiderit se se Spiritus S.; quosque effectus produxerit.

68. Utrum anima Christi a primo conceptionis instanti infusa rerum omnium scientia, & beatifica visione donata fuerit.

69. An Christus Dominus secundum humanitatem habuerit scientiam infinitam.

70. An humana Christi voluntas fuerit maxime libera, & qua libertate; & quomodo conciliari possit libertas Christi cum imposito moriendi mandato, ejusque impeccantia.

71. Quid sit meritum, & an Christi merita fuerint infiniti pretii; quidque sibi, nobisque Christus meruerit.

72. An Christus Dominus vere, & superabundanter pro humano genere satisfecerit divinæ Justitiæ.

73. Possit ne Christus Mediator appellari, & secundum quam naturam; & an sit verus Sacerdos, ac Pontifex novæ Legis, Rex, & Judex vivorum simul & mortuorum; & quo cultu sit adorandus.

74. Quid sit cultus sacer, & quotuplex; quibus nominibus tam in genere, quam in specie exprimatur, & a quibus improbatus fuerit.

75. Utrum Angeli, & Sancti in Cœlis regnantes pro hominibus in terris degentibus orent; & an rite ab eisdem invocentur, & sacro cultu honorentur.

76. An Ecclesia citra ullam erroris maculam consueverit Templa, & Altaria Sanctorum nominibus insignire, Sanctorumque natalitia pio cultu recolere.

75,

77. An licite possimus Sanctis aliquid polliceri, & votorum quæ Deo fiunt Sanctos adjutores invocare, vel tabulas votivas in eorum Templis, & ad illorum Sepulchra appendere.
78. Utrum a nobis colendæ sint Reliquiæ Sanctorum.
79. Utrum Sanctorum Imagines sint colendæ, & quo Cultus genere.
80. An Symbolicæ Imagines Dei, Trinitatis, Angelorum, Christi Domini, licitæ sint ac probandæ.
81. Quo cultus genere B. V. Mariam prosequi debeamus.
82. Utrum tam Dominicæ Cruci, quam illius Imaginibus sacer cultus debeatur, & qualis esse debeat.
83. An antiquissima sit in Ecclesia consuetudo muniendi tam nos, quam alios signo Crucis manu efformato.

Annus Sextus

EX TRACTATIBUS DE ANGELIS, primo Homine, Novissimis, Purgatorio, & Suffragiis.

1. Quid sint Angeli, quibus nominibus designentur, & quibus argumentis eorum existentia evincatur.
2. An Angeli creati fuerint in tempore, quando, & ubi creati.
3. Utrum Angeli sint incorporei, & natura spirituales; an multiplex sit Angelorum numerus, & an specie differant.
4. Utrum Angeli boni suam beatitatem promeruerint, & mali suam damnationem.
5. Quodnam sit cognitionis Angelicæ objectum, seu an Angeli naturæ viribus cognoscant substantias spirituales, &

materiales, futura sive necessaria, sive libera, occultas hominum cogitationes, & Mysteria Fidei.

6. Utrum missio conveniat Angelis : utrum ex omnibus Ordinibus Angeli mittantur : an corpora assumpserint; & an quilibet homo habeat Angelum sui custodem.

7. Utrum Deus in principio temporis cuncta creaverit; & an Mosaica Cosmogonia prophanis historiis sit anteferenda.

8. Utrum sex illi dies, quos Deus impendit in rerum omnium creatione, sint veri, vel metaphorici; & in quonam constitui debeat imago, & similitudo Adami, qui sexta die creatus est, cum Deo.

9. An Adam per peccatum ab originali justitia exciderit; & quomodo; & quas pœnas tum sibi, tum posteris per peccatum promeruerit.

10. An Adam sit omnium hominum primus, an vero admittenda sit Præadamitarum fabula.

11. Quid sit Mors, & an quicumque homines sint morituri. Utrum Henoch, & Elias cum Joanne Evangelista mortem obierint.

12. An Adamo non peccante corpora hominum a morte immunia servata fuissent.

13. Utrum Resurrectio humanorum corporum possibilis sit, & aliquando futura.

14. Utrum resurrecturi sint omnes omnino homines etiam impii; & qua ætate, quo corpore, & quo tempore, quove loco resurrectio fiet.

15. Utrum Deipara resurrexerit, & in Cœlum assumpta fuerit

16. An præter privatum Judicium, quod in morte peragitur cujuslibet hominis, Judicium aliquod universale expectari debeat.

17. Quæ signa universale Judicium, & adventum Divini Judicis prænunciatura sint; & utrum Antichristus sit dominaturus in terris postremis mundi temporibus.

18. Quonam in loco, quo tempore, & qua methodo fieri debeat Judicium; & an etiam Sancti sublimiores judicaturi; & Angeli cum parvulis sint judicandi.

19. Quæ futura sit conflagratio, & renovatio mundi post Judicium.

20. An subterranea defunctorum receptacula sint admittenda, & ea inter numerari debeat Infernus.

21. Quinam Angeli, & homines inferorum pœnis crucientur.
22. Utrum Inferni supplicia sint æterna ; & an cessent aliliquando, aut mitiora reddantur, & utrum quispiam ab Inferno liberari possit, sive liberatus fuerit.
23. Quibus pœnis damnati puniantur; & an tartareus ignis sit corporeus, & qua ratione cruciet spiritus immateriales, & cruciaturus sit corpora post universale Judicium, absque corporum eorumdem resolutione.
24. Utrum Regnum millenarium Christi, & Sanctorum post universale Judicium opponatur fidei, & rationi.
25. Utrum Justi veteris Testamenti in sinu Abrahæ fruerentur intuitiva Dei visione.
26. In quonam collocari possit essentia beatitudinis, & quale judicium ferendum sit de illapsu Dei in Beatorum animas.
27. Quæ futuræ sint dotes corporum gloriosorum, Sanctorumque Aureolæ; & qua gloria essentiali, simul & & accidentali fruatur B. V. Maria.
28 Quid sit Purgatorium, & an Purgatorii existentia ex Divinis Literis, ex Traditione, & ex theologicis rationibus demonstretur.
29. An Purgatorius ignis verus sit, & corporeus ; & an gravitas pœnarum Purgatorii major sit pœnis hujus sæculi,
30. Utrum Animæ Purgatorii de æterna felicitate assequenda dubitent, & utrum Dæmonum potestati subjaceant.
31. Utrum Animæ Purgatorii sint in statu merendi, vel demerendi ; & an pro viventibus orare possint, & aliquid de congruo mereri, seu impetrare.
32. An venialia peccata, etiam quoad reatum culpæ, in Purgatorio remittantur.
33. An Suffragia viventium prosint Animabus Purgatorii; & utrum ex titulo Misericordiæ, vel etiam Justitiæ Dei, suffragia defunctis prosint, eisdemque Indulgentiæ communicentur.

Annus Septimus

EX TRACTATIBUS DE ACTIBUS

Humanis, Conscientia, Legibus, Vitiis, & Peccatis, Justitia, & Jure.

1. Quid sit Actus humanus; quid sit spontaneum, voluntarium, liberum, involuntarium, violentum, & coactum; & quomodo ad voluntarium referantur ignorantia, concupiscentia, & metus.

2. Undenam Actus humani desumant suam bonitatem, malitiamque moralem; & utrum bonitas, & malitia inveniantur in Actibus nedum internis, sed etiam externis, & an utrique pertineant ad eamdem speciem.

3. Quid, & quotuplex sit Conscientia; & utrum Conscientia certa quidpiam præcipiens, aut prohibens obliget sub pœna peccati.

4. Utrum ultimum conscientiæ dictamen de actu licito, sive illicito debeat esse moraliter certum.

5. An liceat sequi opinionem minus probabilem in concursu probabilioris.

6. An in dubiis tutiori parti sit adhærendum, licet aliquando præceptum cessare possit, & consilia ad aliquam partem eligendam invitent.

7. Quid sit Lex, quinam ejus finis, quinam possint ferre Legem; quænam conditiones requirantur, ut Lex obliget, & undenam obligandi vim habeat.

8. Quotuplex sit Lex, & utrum a Lege æterna Lex naturalis derivetur, & an ex Scripturarum, Patrumque testimoniis probetur hanc legem naturalem esse admittendam.

9. An

9. An Lex naturalis una sit, atque indelebilis; & an mutationi subjaceat, aut dispensationi.
10. Utrum Jus Gentium ad Jus Naturale pertineat; vel potius ad Jus positivum.
11. Quid sit lex positiva divina, & quotuplex.
12. An Lex Mosaica fuerit bona & perfecta; & quisnam fuerit finis proximus Legis antiquæ.
13. An Lex antiqua abrogata fuerit, & quo tempore cœperit esse mortifera.
14. Quandonam hominibus data fuerit Lex nova, & quousque sit duratura.
15. Quid, & quotuplex sit Lex humana; & an homines qui Civili, & Ecclesiasticæ subjacent Potestati, ad utramque Legem Civilem nempe, & Ecclesiasticam servandam teneantur.
16. An qui humanas Leges infringunt, sint a peccato immunes.
17. Quid sit peccatum, & quotuplex, & undenam desumatur specifica peccatorum distinctio.
18. Utrum formale peccatorum constitutivum in sola privatione sit collocandum.
19. Quodnam sit peccati subjectum, quænam caussa: & an Deus peccatum velit, & operetur, hominesque ad illud excitet, & impellat.
20. Utrum peccata omnia æqualia sint.
21. An ad peccandum formaliter requiratur actualis advertentia, vel dubitatio, aut scrupulus de malitia actionis; an vero sufficiat advertentia interpretativa.
22. Quid, & quotuplex sit voluntatis consensus; & quinam consensus voluntatis sufficiat ad peccandum.
23. Quinam sint præcipui effectus peccati.
24. Quid sit originale peccatum, in quonam formaliter consistat, & an debeat admitti.
25. Quomodo peccatum originale in Adæ posteros propagetur.
26. An Beata Virgo Maria ab originalis peccati labe immunis servata fuerit.
27. Quænam pœnæ sint originali peccato debitæ, & utrum Parvuli morientes cum solo originali peccato patiantur etiam pœnam sensus.
28. Utrum detur peccatum veniale ex natura sua a mortali distinctum.

29.

29. Per quid formaliter, & primario peccatum mortale, & veniale costituantur, & differant; & quibus regulis unum ab altero secerni possit.

30. Quænam sint peccata Capitalia, quænam eorum natura, quinam eorum præcipui actus, & quænam ex ipsis peccata pullulent; quibus remediis contra singula capitalia peccata sit utendum.

31. Quodnam sit peccatum omissionis. An dari possit omisso culpabilis sine omni voluntatis actu præcedente; an actus qui caussa est omissionis culpabilis habeat malitiam ab ipsa omissionis malitia distinctam.

32. Quid sit Jus, & in quas species dividatur, quomodo acquiratur Jus in re; quid, & quotuplex sit actio judicialis.

33. Quid, & quotuplex sit Dominium, & quot sint modi acquirendi rerum Dominium Jure Gentium servato.

34. Quinam sint tituli, seu modi acquirendi rerum Dominium ex Jure Civili.

35. Quonam Dominio homines frui possint supra seipsos, supra familiam, & supra servos.

36. Quotuplicis generis sint bona, quæ Clericis Sæcularibus obveniunt; & quorumnam bonorum Clerici Sæculares plenum habeant Dominium.

37. An Religiosi Ordines in communi sint capaces Dominii proprietatis. An Religiosus Professus sit incapax Dominii propietatis, & unde hæc incapacitas proveniat; cuinam acquirat, quod ab aliis acquirit; & cujus Juris, & Dominii Religiosus sit capax.

38. Quid, & quotuplex sit Justitia, & quodnam ejus objectum materiale, & formale.

An-

Annus Octavus.

EX TRACTATIBUS DE SACRAMENTIS in genere, Baptismo, Confirmatione, & Eucharistia.

1. Quid Mysterii, ac Sacramenti nominibus apud Ecclesiasticos Scriptores designetur; quid sentiendum sit de vetustioris Ecclesiæ circa Sacramenta silentio; & an repeti debeat ab Arcani Disciplina.
2. An ante Legem Gratiæ aliqua extiterint Sacramenta in statu naturæ innocentis, in Lege naturæ, & in Lege Mosaica; & qua ratione Sacramenta appellentur.
3. An in Evangelica Lege vera & propria Sacramenta existant, quinam sit eorum numerus, & an variari possit.
4. An ablutio pedum sit novæ Legis Sacramentum.
5. Quidnam nomine Materiæ, & Formæ Sacramentorum designent Theologi; & utrum Materiæ, & Formæ Sacramentorum variari possint.
6. An Sacramentorum verba dicenda sint promissionis, aut concionis, vel potius consecrationis.
7. An Christus Dominus immediate, & per semetipsum Sacramenta instituerit.
8. An solus & quilibet homo viator sit Minister Sacramentorum.
9. Quid, & quotuplex sit intentio; & an ad valorem Sacramenti prærequiratur in Ministro intentio actualis, vel saltem virtualis faciendi id, quod facit Ecclesia; an vero sufficiat intentio habitualis.
10. Utrum si Minister intentionem habeat faciendi ritum externum, quem facit Ecclesia, sed occulta deliberatione velit rem sacram non facere, ut fieri solet in Ecclesia Christi, nullum atque irritum sit Sacramentum.

11.

11. An pro Sacramentorum validitate requiratur in Ministro fides, & probitas.

12. An Sacramenta ab Hæreticis, & Schismaticis collata catholico ritu, valida sint.

13. Quodnam esse possit subjectum Sacramentorum, quæ in eo requiratur intentio; & an subjecti improbitas Sacramenta irritet.

14. Utrum Sacramenta producant gratiam ex opere operato; & an generent eamdem gratiam physice, aut moraliter.

15. Utrum Sacramenta veteris Legis contulerint gratiam ex opere operato, an vero ex opere operantis.

16. An in quibusdam Sacramentis novæ Legis, imprimatur Character; & in quonam reponenda sit characteris impressi essentia, & natura.

17. Quænam sit Ceremoniarum, quæ in Sacramentis occurrunt, definitio, institutio, atque eas servandi necessitas.

18. Quid sit Baptisma, & quotuplex; quinam fuerint præcipui errores circa Sacramentum Baptismi, & quodnam sit illius discrimen a Baptismate Gentilium, & Judæorum.

19. Quænam sit materia remota Baptismi, & an validum sit Baptismi Sacramentum sive illud per immersionem, sive per infusionem, aut aspersionem ministretur.

20. Quandonam incœperit, & quamdiu obtinuerit in Ecclesia consuetudo baptizandi per trinam immersionem, & quo tempore, quibusve de causis immersioni infusio substituta fuerit,

21. Utrum Forma Baptismi necessario constituenda sit in expressa invocatione Sanctissimæ Trinitatis; utrum Apostoli in solius Christi nomine baptizaverint, & an Baptisma in solo Christi nomine collatum validum foret.

22, Utrum, & quomodo Baptismus sit hominibus necessarius; & quando a Christo Domino fuerit institutus.

23. Utrum Baptismus aquæ institutus a Christo Domino suppleatur per Baptismata flaminis, & sanguinis; & an Baptisma sanguinis suppleat Baptismi vices etiam in Parvulis.

24. Quisnam sit Baptismi Minister ordinarius, & ex officio; quis-

quisdam Minister extraordinarius, & ex delegatione; & an in casu necessitatis mulieres etiam & homines non baptizati valide baptizent.

25. Quæ controversia excitata fuerit a S. Cypriano de Baptismo collato ab hæreticis; & quomodo hæc controversia dirempta fuerit a S. Stephano Romano Pontifice.

26. Utrum Infantes sint capaces Baptismi, eosque conveniat baptizare

27. An invitis Parentibus Infidelium filii sint baptizandi; & an baptizari possint defunctorum cadavera, & viventes pro defunctis.

28. Utrum homines per Baptismum plenissime liberentur ab Originali, atque ab actualibus culpis, eisdemque infundatur gratia sanctificans; & an gratiæ sanctificanti adjungantur etiam infusæ virtutes, fides videlicet, spes, atque charitas.

29. Utrum pœnæ omnes peccatis debitæ per Baptismi efficaciam remittantur.

30. Utrum Character indelebilis sit effectus Baptismi, & an Baptismus iterari possit.

31. Quænam ceremoniæ præcedant, comitentur, ac subsequantur Baptismum, & an hujusmodi ceremoniæ sint antiquæ, universales, sanctæ, & ab omni superstitione immunes.

32. Quid sit Catechumenatus, & quomodo fuerit institutus, qui fuerint antiquitus gradus seu classes Catechumenorum, & quænam Ecclesiæ disciplina erga Catechumenos.

33. Quibus vocabulis Auctores Ecclesiastici in Confirmationis Sacramento designando usi fuerint; quomodo definiatur; & an Confirmatio collocanda sit in numero Sacramentorum novæ Legis.

34. An materia Confirmationis essentialis, & adæquata in impositione manuum simul, & Chrismatis unctione consistat. Quotuplex occurrat manuum impositio in Confirmatione, & quæ præsertim consideranda sit tamquam essentialis Confirmationis materia: Utrum de fide sit credendum Sacram Unctionem pertinere ad essentiam Confirmationis, & quis sit S. Chrismatis consecrandi Minister.

35.

35. Utrum forma Confirmationis in oratione manuum impositioni adjuncta, & in verbis Chrismatis unctioni respondentibus contineatur.

36. An Christus immediate instituerit Sacramentum Confirmationis, & an de institutionis tempore constet.

37. Quinam sit Minister Ordinarius Sacramenti Confirmationis, & an simplex Sacerdos ex potestate extraordinaria idem Sacramentum conferre possit.

38. Quinam confirmari possint, & vocari hujus Sacramenti subjectum; quænam ætas sit idonea ad hoc Sacramentum suscipiendum, & quæ dispositiones in suscipiente requirantur.

39. Utrum ad Confirmationis Sacramentum suscipiendum necessario teneantur omnes baptizati; & quinam sint Sacramenti Confirmationis effectus.

40. An Sacramentum Confirmationis iterari possit, & an impositio manuum, & Chrismatio in recipiendis hæreticis olim adhibita, fuerit confirmatoria.

41. Quibusnam ceremoniis olim usa fuerit, & hac nostra ætate utatur Ecclesia in hoc Sacramento administrando.

42. Quibus nominibus Eucharistiæ Sacramentum a Sacris Scriptoribus appelletur, quomodo definiatur, & quinam fuerint Hæretici, qui realem Corporis Christi in Eucharistia præsentiam inficiati sunt.

43. Utrum ex Scripturis realis, & substantialis Christi præsentia in Eucharistia valeat demonstrari.

44. Utrum eadem efficaciter probari possit ex constanti, antiqua, universali SS. Patrum, & Ecclesiæ traditione.

45. Utrum Mysterium realis Christi præsentiæ in Eucharistia rationi repugnet.

46. Quid Transubstantiationis nomine intelligatur; quinam fuerint circa ipsam Hæreticorum errores, quænam Scholæ opiniones; & an per verba consecrationis fiat totius substantiæ panis & vini in substantiam corporis & Sanguinis Christi conversio, seu transubstantiatio.

47. Quænam fuerit Jo. Chrysostomi, Theodoreti, Gelasii Pontificis, & Ruperti mens circa transubstantiationis dogma.

48. An Eucharistia sit Sacramentum; quid præcise rationem habeat Sacramenti in Symbolis Eucharisticis; & an

Eu-

Eucharistia consistat in re permanente, vel in usu tantum, & actione transeunte.

49. Utrum Materia Sacramenti Eucharistiæ in solo pane triticeo, & solo vino de vite sit necessario collocanda.

50. An consecratio Eucharistiæ cum in Azimo tum in Fermentato valeat; quinam agant convenientius, Græci fermentatum, an vero Latini azimum consecrantes; & utrum liceat Græcis in azimo, & Latinis in fermentato Eucharistiam consecrare.

51. Utrum antiqua sit apud Græcos in fermentato, & apud Latinos in azimo consecrandi consuetudo.

52. An, quo jure, qua necessitate, & qua quantitate aqua in Sanctum Calicem sit infundenda; & an convertatur in Sanguinem Christi, & quomodo.

53. Quænam sit Forma necessaria, & essentialis in consecratione panis, & vini; & qua ratione in ultima Cœna panem & vinum consecraverit Christus Dominus.

54. Quisnam sit consecrandæ Eucharistiæ, ejusdemque dispensandæ Minister.

55. Quodnam sit percipiendæ Eucharistiæ subjectum idoneum, & quæ in eo dispositiones requirantur; utrum Infantibus, Amentibus, reis morte damnatis, peccatoribus tam notoriis, quam occultis Sacra Communio sit concedenda.

56. Utrum, & quomodo Eucharistia omnibus necessaria sit.

57. Utrum Communio sub utraque specie sit omnibus necessaria; & quo jure Ecclesia Laicis usum Calicis interdixerit.

58. Utrum Eucharistia per se, aut saltem per accidens peccatorum mortalium remissionem operetur, & utrum venialia peccata remittat, & gratiam producat, & quænam sit illa gratia, quæ Eucharistiæ propria dicitur.

59. Quid sit Sacrificium, & quomodo definiatur, quotuplex sit, & quæ ejus necessitas.

60. Utrum Christus in Ara Crucis verum æterno Patri obtulerit Sacrificium.

61. Quibus nominibus a SS. Patribus, & Scriptoribus Ecclesiasticis appelletur Missæ Sacrificium, & quinam fuerint præcipui circa illud Hæreticorum errores.

62. Utrum Eucharistia sit verum, ac proprie dictum Sacrificium

cium; & in quonam præcise Eucharistici Sacrificii essentia sit ponenda.

63. Quisnam sit Minister Sacrificii Missæ, quis in eo principalis offerens, & an Sacerdos excommunicatus, suspensus, depositus, degradatus, hæreticus, aut schismaticus valide Sacrificium conficiat.

64. Utrum vero sensu dici possit Eucharisticum Sacrificium non a Sacerdotibus tantum, sed a tota Fidelium societate offerri.

65. Utrum Missæ Sacrificium sit propitiatorium, & sit infiniti valoris.

66. Pro quibus viventibus offerri possit Sacrificium; & an utiliter offeratur etiam pro Defunctis.

67. Utrum ita sit necessarium solemniter, & publice celebrari Missam, ut Missæ quæ privatæ dicuntur illicitæ sint, atque illegitimæ.

68. An antiquus sit Liturgiarum usus, earumque authenticitas probari possit ad dogmata catholica vindicanda.

Annus Nonus.

EX TRACTATIBUS DE SACRAMENTIS

Pœnitentiæ, Extremæ Unctionis, Ordinis, & Matrimonii.

1. QUibus nominibus Pœnitentia designetur, quibus modis considerari possit; & utrum Pœnitentia sit specialis virtus; & quodnam sit discrimen istius a Sacramento Pœnitentiæ.

2. An Christus Ecclesiæ veram concesserit potestatem dimittendi omnia peccata per verum, & proprie dictum Sacramentum Pœnitentiæ. An & quomodo Pœnitentiæ Sacramentum a Baptismate distinguatur.

3. An per Sacramentum Pœnitentiæ vere, & juridice peccata

cata remittantur, an vero tantum declarentur esse dimissa.

4. Quandonam a Christo Domino Sacramentum Pœnitentiæ fuerit institutum; & an omnibus, & singulis post Baptismum lapsis sit absolute necessarium, atque iterari possit.

5. An detur aliquod crimen, quod per Pœnitentiæ Sacramentum remitti non possit.

6. Quænam sit materia remota Sacramenti Pœnitentiæ, quænam sit materia proxima, & an satisfatio sit pars integralis hujus Sacramenti.

7. Undenam derivetur Contritionis nomen; quid sit contritio in genere, quænam ejus proprietates, ac necessitas, & quotuplex distinguenda sit contritio.

8. In quonam collocanda sit ratio essentialis, & specifica contritionis, & charitatis perfectæ; & an contritio perfecta, cum Sacramenti Pœnitentiæ percipiendi proposito, infallibiliter impium hominem Deo reconciliet.

9. Quomodo differat contritio, & attritio; utrum attritio concepta ex gehennæ & pœnarum metu bona sit, honesta, & laudabilis, & utrum metus gehennæ possit excludere voluntatem peccandi.

10. Utrum ad justificationem in Sacramento sufficiat attritio pure formidolosa, an e contra requiratur aliquis Dei amor, & qualis.

11. Quid Confessionis, seu Exomologesis nomine intelligatur, quomodo definiatur, & utrum Confessio Sacramentalis sit necessaria necessitate medii ad salutem pro lapsis in gravia crimina.

12. Utrum a Nectario Patriarcha C. P. Sacramentalis Confessio, & Canonica Pœnitentia, an vero publica dumtaxat criminum manifestatio abrogata fuerit; & utrum in veteri Ecclesia publica peccatorum manifestatio aliquando fieret.

13. Quandonam peccatores teneantur ad Confessionem ex præcepto divino, & ecclesiastico; & an etiam Justi ad Tribunal Pœnitentiæ accedere teneantur.

14. Quo jure necessarium sit Confessionis sigillum, quæ sit

ejus materia, quinam ad illud teneantur, & quæ pœnæ adversus sigillum Confessionis violantes, & infringentes sint a sacris Canonibus decretæ.

15. An Confessio per Epistolas facta, & absolutio absentibus data sit valida.

16. Quid, & quotuplex sit Satisfactio; & an sit necessaria peccatoribus, & an post remissionem culpæ, & pœnæ æternæ luenda supersit in hoc sæculo, vel in Purgatorio pœna temporalis.

17. Quando sit implenda, & imponenda satisfactio, & quanta sit a Ministro injungenda; quæ conditiones requirantur ad satisfactionem, & quinam sint ejus effectus.

18. Quænam sit Forma Sacramenti Pœnitentiæ, & an ex institutione Christi, atque natura Sacramenti debeat esse actus Judicii. Quibus verbis exprimi debeat an deprecatoris absolutis, seu indicativis; & quandonam forma indicativa apud Latinos invaluerit; & an apud Græcos valuerit, & nunc etiam proferatur forma deprecativa.

19. Cuinam Pœnitentiæ Ministro formæ proferendæ, & pœnitentialis Judicii exercendi potestas sit concessa; & an Exomologesis apud Diaconum facta, de qua Cyprianus loquitur, fuerit ceremonialis reconciliatio a Sacramentali absolutione secernenda.

20. An præter Ordinis Potestatem necessaria sit in Sacerdote potestas Jurisdictionis, ut valide possit absolvere a peccatis.

21. Utrum peccata per Pœnitentiam remissa redeant per subsequens peccatum, & utrum per Pœnitentiam virtutes restituantur, & merita per peccatum mortificata revivifcant.

22. Quænam fuerit origo, & progressio publicæ Pœnitentiæ; quot fuerint gradus & stationes pœnitentium, & an pro Hyemantibus, ut vocabantur, & Energumenis diversus gradus fuerit constitutus in veteri Ecclesia.

23. Quænam peccata per Pœnitentiam publicam purgari antiquitus deberent.

24. Utrum Ecclesia excluserit aliquando ab aditu Pœnitentiæ graviorum criminum reos .

25. Utrum publica Pœnitentia semel concederetur in veteri Ecclesia .

26. Quomodo se gesserit vetus Ecclesia circa relapsos , qui post acceptam Pœnitentiam iterum peccassent ; & quare relapsi relinqui dicerentur Judicio Dei .

27. Quod discrimen intercederet inter Catholicorum severitatem , & Novatianorum hæresim .

28. An Clerici majores obnoxii aliquando fuerint publicæ Pœnitentiæ ; quidve significatum fuerit per Communionem Laicam , & Peregrinam ad quam redigebantur .

29. Quandonam publicæ Pœnitentiæ rigor imminui cœperit in utraque Ecclesia .

30. Quid , & quotuplex sit Indulgentia ; & an detur in Ecclesia thesaurus Indulgentiarum , qui applicari possit iis , quibus remanet pœna temporalis luenda in hac , vel in altera vita .

31. An sit in Ecclesia potestas hunc thesaurum applicandi , seu Indulgentias ex hoc thesauro dispensandi , & quibus competat .

32. Quæ caussæ movere debeant animum conferentis Indulgentias , ut effectum suum sortiantur , & quænam dispositiones requirantur ex parte suscipientis easdem Indulgentias .

33. Quibus nominibus Extrema Unctio a Latinis , ac Græcis designentur ; & an sit verum & proprie dictum novæ Legis Sacramentum immediate a Christo Domino institutum .

34. Quænam sint hujus Sacramenti Materia , & Forma ; nec non qualis olim fuerit eadem Forma .

35. Utrum in sola graviori infirmitate, sive etiam sanis hoc Sacramentum tribui possit; & ante vel post SS. Viaticum ; a quo Ministro , & ad quem effectum .

36. Quibus nominibus Sacræ Ordinationes ab utriusque Ecclesiæ Scriptoribus exprimantur , & unde Clericorum nomen sit desumendum .

37. An detur Ecclesiastica Hierarchia a Christo Domino instituta ,

38. Quot, & quinam sint Ecclesiasticæ Hierarchiæ gradus.
39. Utrum Ordo sit verum, & proprie dictum novæ Legis Sacramentum.
40. Qui nam Ordines obtinuerint in Ecclesia Latina, & Græca.
41. Quænam sit Materia, quænam forma, & qui Minister Sacrarum Ordinationum.
42. An per sacram Ordinationem conferatur Gratia, & imprimatur Character.
43. Quænam sit origo, & antiquitas Clericalis Tonsuræ, & quæ per Tonsuram Clericis beneficia obveniant.
44. Quid sint Ostiariatus, Lectoratus, Exorcistatus, Acolythatus, & quænam fuerint horum Ordinum officia in veteri Ecclesia.
45. Utrum Exorcistæ potestatem suam exercuerint non solum supra Energumenos in veteri Ecclesia, sed etiam supra Catechumenos, & Pœnitentes.
46. Quid sit Subdiaconatus, quænam ejus materia, & forma; an in Ecclesia Latina sit, semperque fuerit Ordo Sacer; quæ antiquitus fuerint Subdiaconi officia, & quæ sint obligationes illius.
47. An Diaconatus sit Sacramentum; quæ sint, quæve fuerint in veteri Ecclesia Diaconorum officia.
48. An Presbyteratus sit Sacramentum; quæ sint, quæve fuerint in veteri Ecclesia Presbyteratus officia.
49. An Episcopatus sit Ordo, & proprii nominis Sacramentum a Sacerdotio distinctum.
50. An, & in quibus ab Apostolorum ætate, atque ex divina institutione Episcopi sint Presbyteris superiores.
51. Quid Chorepiscoporum nomine intelligeretur, quænam eorum origo, officia, & dignitas in veteri Ecclesia.
52. Quænam sint initia, & progressus Cœlibatus Clericorum in Ecclesia tam Græca, quam Latina.
53. Quibus nominibus contractus Matrimonii soleat inter homines significari. Quid denotet apud Græcos coronatio, & an ritus coronandi Sponsos antiquus fuerit in utraque Ecclesia.
54. Quomodo definiatur Matrimonium, & an ejus essentia in carnali corporum commixtione sit collocanda, an potius

potius in vinculo resultante ex consensu viri, & mulieris signis externis manifestato.

55. Quænam sit materia, & forma contractus Matrimonii, quodnam ejus objectum, & an ad valorem contractus matrimonialis necessaria sit in carnis commixtionem consensio.

56. An Virginitas, & perpetua continentia pro Deo suscepta Matrimonio sit anteferenda.

57. An Matrimonium carnali etiam copula consummatum bonum sit, honestum, & utile; atque utrum sit, sive aliquando fuerit in præcepto.

58. Quid, & quotuplex sit Polygamia, & an Polygamia simultanea repugnet, & cui nam Juri opponatur.

59. An post Diluvium Deus cum Patriarchis dispensaverit, ut plures simul Uxores ducere possent; & an Concubinæ, de quibus in Libro Genesis, fuerint veræ uxores.

60. An in Lege Evangelica vetitum sit, & perpetuo interdictum connubium cum pluribus simul Uxoribus; & an a Christo Domino recissa fuerit memorata Legis Mosaicæ dispensatio.

61. Utrum Polygamia successiva, secundæ videlicet Nuptiæ sint licitæ; & qua de caussa Ecclesia erga Bigamos severiori disciplina antiquitus usa fuerit.

62. An Matrimonium sit indissolubile tam quoad vinculum, quam quoad thorum.

63. Quænam fuerit firmitas vinculi conjugalis apud Judæos, & an dirimeretur per libellum repudii.

64. An in Lege Evangelica solvi possit Matrimonii nexus & vinculum ob caussam fornicationis, & adulterii.

65. An Matrimonium dissolvi possit ob conversionem unius aut amborum Conjugum ad Christi fidem; & per Religiosam Professionem.

66. An Matrimonium in nova Lege sit verum & proprie dictum Sacramentum a Christo Domino institutum.

67. Quis sit Sacramenti Matrimonii Minister necessarius, & legitimus.

68. An a suprema Principum potestate impedimenta Matrimonium dirimentia statui possint; & an Sacramentum

tum

tum Matrimonii subsistat, irrito etiam manente civili contractu, sive a Supremo Reipublicæ Moderatore abrogato.

69. An Ecclesia olim potuerit, & etiamnum possit impedimenta Matrimonium dirimentia constituere.

70. Quænam sint impedimenta dirimentia, & a qua Lege proveniant.

71. Quænam, & quot sint impedimenta Matrimonium impedientia.

72. An Matrimonia a Filiis familias, & a Servis, invitis aut insciis Parentibus, & Dominis contracta irrita sint, vel saltem illicita.

73. Quid sint Sponsalia; an Nuptiis sint necessario præmittenda, quænam requirantur, ut Sponsalia Nuptiarum obligationem inducant, & quænam caussæ pro dissolvendis Sponsalibus legitimæ esse possint

74. Quibusnam olim Ritibus, ac Solemnitatibus in Matrimomonio conferendo usa fuerit, & nunc utatur utraque Ecclesia, & an sint ab omni superstitione immunes.

F I N I S.

CB